204. L. A. 10

VITT. EMAN. II

~~T…fer, 43.~~

~~£ 48~~

.6.

…. CENTR.
…204
A
…14
…OMA
VITT. EMAN. II

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] 4 - 6 - 16 [illegible]

204.4.A.14

JOH. THEODORI SPRENGERI

HELICON

EXHIBENS

ALIQUOT ANTEHAC CUSA POEMATA.

ROMA

15.

IN BARBATUM, QUI barba ſua gloriabatur, f. Pariſiis.

B*Arba facit mentum ſuavis facundia mentem,*
Barba decet capras, mens bene culta viros.

Alluſio in quendam, qui vocabatur OLLA, & negotiabatur in Sale, cum duxerat uxorem vocatam CAPELLAM, f. Avenione.

O*Lla placet noſtris bene ſale repleta capellis,*
Aſt ollæ capræ cornua torta nocent.

In vultus conſtantiam, f. Bruſſellis.

A*Rguit ingenium placidi conſtantia vultus,*
Prodit & intrepidum mens bene culta virum.

In ſuperbiam cujusdam Principiſſæ, f. Lipſiæ.

P*Rincipis Huſſana tetigit cum limina princeps,*
Quæ de Buraco ſtemmate nata venit.
Mox ego cum vidi venientem, currere cæpi,

Accurrens flexo poplite verba dedi.
Illa manus tangi juſſit, ſed turgida faſtu,
Mox me, qualis ſim, ſæpe rogare jubet.
Memet decepi, nam non es Nobilis, inquit,
Neq; meas decuit te tetigiſſe manus.
Hæc quæ ſtultitiæ pars eſt, ſublata ſuperbit
Paupertas, fuerit quæ, bene noſſe nequit.

Regula fæderis, f. Lovanii.

QVando peregrinis ullo te fœdere jungis,
Noſce fidem, ſtatum, divitiasq; prius.

Potentia doni.

Munere nos homines, Divos donoq; movemus,
Quod ratio nunquam, munera ſola queunt.
Munere nos hoſtes auroq; movemus amicos,
Argentum vincit, quicquid in orbe patet.

In vitam aulicam.

TEmpora me tacitæ ducant ſecuta quietis,
Aula vale, fraudis, visq; doliq; domus.

Ad patrem ſuum de dotalitio ſcribere volentem, f. Genevæ.

ERgo parens varios inter venerande labores,
De dotalitio nobile ſcribis opus.
Grande decus canam ſcriptis decorare ſenectam,
Grande decus publico vivere velle bono

Immor-

Immortalis eris, famam res illa parabit,
Nomen & à ſera poſteritate feres.
Sic age, dum magnis res prodeſt illa Monarchis,
Crede, quod & menti competit iſta tuæ.
Vxor erit veſtri merce: DOTATA laboris,
Tradet tranquillos & Themis alma dies.

Super quodam fallito, qui multos decepit, f. Venetiis.

INter tres medicos ibat mercator, & unum
Conſulit, an burſa nulla ſit herba, rogat.
Debita me cruciant, tibi Phtiſica burſa ſalutem
Exorat, medicam trade ſalutis opem.
Quod niſi tu facies, pereo; nihil aptius iſti,
Eſſe refert medicus, quam nova furca poteſt.

Super obitu Brutii literarum maximi oſoris.

Brutia jam pietas, jam Brutia gratia dormit,
Gratia, quæ doctis non fuit æqua viris.
Quid fundis miſeras Mercuria turba querelas,
An rapuit veſtrum mors truculenta Deum.
Brutius Aoniis nullus fuit ille Camænis
Fautor, ad uſuras ſed celer ille fuit.
Brutia Lethæis hinc gloria mergitur undis,
Hinc jacet in fœto Brutia fama luto.

Epitaphium ejusdem.

PAllidus hoc tumulo livor, faſtusq; recumbunt,
In me qui ſedes compoſuere ſuas.

In nuptias

Domini de L'eſpine.

VIrginitas clauſura diem ſalvere puellas,
Imperium ſponſi, proxima noxq́; jubet.
Perdis, quod nunquam poteris reparare, ſed illinc
Accipies duplum, ſic bona lucra facis.
Sponſi dum lux eſt, objectum *lumina paſces,*
Subjectum, *cum nox lucet, amoris eris.*
Punget Spina *roſam, vertuntur ſecula, qui nunc*
Pugnat pro ſponſa, mox acer hoſtis erit.

In diſceſſum ſuum ex Hollandia, f. Antuerpiæ.

VIvite vos Batavi, vos phtiſica burſa ſalutat,
Eſt quæ per veſtras evacuata manus.
Me Brabantinos mea mens traduxit in agros.
Vivere queîs pretio commodiore licet.

In Salmaſium & Heinſium, f. Lugduni Batavorum.

SVnt duo ſub Batavo contraria lumina cælo,
Lumina Teutonicis utraq́; nota plagis.
Heinſius, & noſtro notus Salmaſius ævo,
Sunt duo: prædictus quod facit, ille vetat.

In virum ex cruciatu mulieris & ſocrus mortuum: f Neapoli.

QVisquis es, hoc videas buſtum, miraberis illud,
Quis quæris, dedit hoc, perfida nupta dedit.

Sed

Sed ſi non duplex, verum mea recta fuiſſet
Vxor, vir tali non premeretur humo.

In imperium mulieris.

IMperium muliebre nocet, conſtantia firmat,
Regna, domus nunquam ſe mobilitate gubernat.

In amicitiam fictam.

FAllit amicitiæ ſpecies, & comprimit hoſtes,
Dum ſimulata manet, dum bene tecta latet.

Regula aulica.

AVxilium tibi tunc muliebris gratia præſtet,
Si quid apud proceres Caje rogare cupis.

Ad Dn. D. LOTICHIUM, f. Marpurgi.

TAlis ut ad noſtrum pervenit epiſtola limen,
Quæ fuit articulis nobilitata tuis.
Protinus acceptæ dederam ſuaviſſima chartæ
Oſcula, lætitiæ nuncia ſigna meæ.
Hinc ego frondoſum tetigiſſe videbas Olympum,
Talia dum tacito murmure verba dabam.
Ergo tuo tenuem dignaris amore Poetam,
Qui cupit Aoniis ora rigare vadis.
Qui nunc montoſam vivit ſemotus ad urbem,
Quæ de ſanguineo nomina Marte tenet.

O decus, ô patriis memorabile nomen in oris,
Siccine jam noſtri commeminiſſe ſoles
Grata Tibullæo fundis dum carmina verſu,
Carmina quæ veſtri ſigna favoris habent.
Hoc facis, Aonias ut perſequar aerius artes,
Ingenio ſtimulum ſubdere forte cupis.
Ergo prius ſummas retro ſe Lanus ad Alpes
Flectet, & in liquido flumine meſſis erit.
Quam veſtri noſtram capient oblivia mentem.
Quam tuus in nobis diminuetur amor
Nam tua lativagum virtus diffuſa per orbem
Efficit, ut gemino fortius igne ferar.
Inde licèt veſtris longè de finibus abſim,
Veſtra tamen fibris hæret imago meis.
Interea patriis dum vivo remotus ab oris,
Quæ ratio vitæ ſit ſtudiiq; rogas?
Accipe Caſtalias amplector utante, Camænas,
Et mihi Pegaſea plus nihil arte placet.
Noſter amor doctis Clio circumdata Muſis,
Quæ ſedet Heſſiacis conſpicienda jugis.
Hic ubi montoſam Lanus præterfluit urbem,
Et tacito viridem murmure pulſat humum.
Cujus ad algentes ludit ſuaviſſima ripas
Carmina, Threiciâ Calliopæa chely.
Inde vel ut ſacras hic perſequar acrius artes,
Jam tua LOTICHI litera calcar erit.
Deniq; prolixo ne creſcat epiſtola verſu,
Finio, Pieridum ſaxq; jubarq; vale.

Elegidion Propempticum

Ad

DN. D. LUDOVICUM de VORNEK,
f. Francof. ad Mœnum.

ERgo quid Auſtriacis gaudes ſuccedere campis,
Et Francfurtani deſeris arva ſoli.
Nec calcare vias metuis, nec frigoris æſtus
Ferre, nec abruptis ſcandere ſaxa jugis.
Nonne vides gelidæ Borealia frigora Brumæ,
Arvaq; nimboſis humida facta Notis
Adde quod indomiti nondum diſcrimina belli,
Illic quo properas, conticuiſſe ferunt
Quid juvat Herculeos humeris ſubiiſſe labores,
Quid juvat ingratæ tædia ferre viæ
Eſt ſatius patrios, fateor; coluiſſe penates,
In primis caſtæ conjuge poſſe frui.
Tu retine charum conjux dilecta maritum,
Qui procul à patriis ſedibus ire parat.
Tu quoque, qui nondum cunas ERNESTE *relinquis,*
Effice, ne captum perficiatur iter
Vndiq; nam rigido ſævit Bellona flagello;
Sparſaq; ſanguineo rura cruore madent.
Sed quid inutilibus conſumo tempora nugis,
Suſpicor hic monitis non opus eſſe meis.
Vade, nec inviſi metuas ſcelerata latronis
Spicula, nam ſummo numine cinctus eris.
Sæpe tulit medicam feſſis ſors dura ſalutem,
Fata regunt homines. ſed regit illa Deus.
Hic tibi per ſalebras, per inhoſpita ſaxa, per Alpes

Monſtrabit tutam duxq; comesq; viam.
Ergò licet veſtram nunc illa vel ille ruinam
Speret, & exitium plurima turba tuum.
Poſt tamen exactas moles, poſt longa laborum
Tadia, ſecuris ocia rebus ages
Fallor an ignotis tua fama triumphat in oris,
Qua tunc conſpicuum tollet in aſtra caput.
Caſar ubi veſtros ſenſim geminabit honores,
Qui probat ingenii flumina larga tui.
I nunc, nam veſtros auget ſors illa triumphos,
I nunc, quo ſuperi. ſeu pia fata volunt.

Ad eundem ſuper ejus filioli repentino obitu.

SIccine maſculeam mors invida ſiccine prolem,
Diripis & vita limina ferre negas.
Sed ſic fata volant ſic optima quaq; recumbunt,
Dexteriora cadunt, deteriora manent.
Ergo parens variis ſuperos urgere querelis
Deſine, ſeu trepidos exue corde metus.
Nam tua qua veſtris ſoboles colluſit in ulnis,
Et fuerat matri ſarcina grata ſua.
Felix morte jacet, rutili dum ſidera cali
Conſpicit, Angelicis perfruiturq; bonis

In illum, qui alterius ruinam molitur, f. Coloniæ.

DVm niger explicitis milvus ſecat aera pennis,
Serpentem gelidâ ſerpere vidit humo.

Mox.

Mox rapuiſſe parat talem, ſed læſus ab ictu
Aufugit, & ſtimulo virus habente cadit.
Sic quicunque meam gaudes properare ruinam,
Et ruis, & propria fraude perire ſoles
Hinc mihi ſeu mortem, ſeu damna cruenta parabis,
Attamen hæc capiti ſunt oneroſa tuo.

†

Qui cupit alterius fœdam properare ruinam,
Qui ſtruit inſidias, qui ſtruit arte dolos.
Sæpius hic proprio neſcit ſuccurrere damno,
Sic nocet authori fraus truculenta ſuo.

†

Ille nocet nulli, qui forte nocere parabit,
Cudit in exitium ſed mala multa ſuum

In Philoſophiam Caji.

SIcut in immundas ſe ſus lutulenta paludes
Volvit, & obſcæno gaudet olere luto.
Sic latet in variis Caji ſapientia nugis,
Flagitium ſpreta quæ pietate colit.

Super nato recens maſculo
Generoſi
DN. de KALKENSTEIN, carmen Genethliacon, f. Francofurti.

MAgne parens rutilo madeat tua menſa falerno,
Magne parens tacito gaudia volve ſinu.
Qualia Dardanius quondam conceperat Heros,
Natus ut in Grajam prodiit Hector humum.

Non mora: gemmato ſuſpende monilia collo,
Solve vel Aoniis ora canora modis.
Te decet Eois crines variare lapillis,
Te decet ad pulſam crura movere chelyn.
Nam tua maſculeam conjux cariſſima prolem
Edidit, & gravidi nobile ventris onus.
Dumq́ parit, variis Iun. ſtipata puellis
Sæpe tulit medicam ſæpe ſalutis opem.
Poſt hanc Lanificas vidi ceciniſſe ſorores,
Hæc quæ vatidico pectore verba dabant.
Salve magnanimi ſoboles generoſa parentis,
Kalkenſteiniacæ clara propago domus.
Creſce, tibi noſtris ducentur ſtamina fuſis,
Longaq́ fatali fila voluta colo
Te reget altiloquis Pallas circumdata Muſis,
Te reget ingenua cum pietate fides.
Te matura ſenem prudentia reddet, & altum
Nomen ab annoſa poſteritate feres.
Sive Meduſæas Phœbi reſidebis ad undas,
Sive geres forti Martia tela manu
Florida ſeu celſi te principis aula tenebit,
Veſtra tamen rutilis fama volabit equis.
Sed nos occulti fallunt niſi præſcia fati
Sidera, Caſtalii gloria fontis eris.
Talia Lanificas prædicta poemata Nymphas
Ad cunas pueri concinuiſſe reor.
Ergo purpuream genitor tibi necte corollam,
Lætaq́ Rhenano tempora ſparge mero.
Parvula nam veſtris ſoboles colludit in ulnis,
Quæ poterit totum condecorare genus.
Talia cui certos promittunt dicta triumphos,

Quæ-

Qualia ſunt elegis commemorata meis.
Interea magnis prognate parentibus infans
Te maneant Pylii tempora longa ſenis.
Scilicet ut celebres merita cum laude Camillos
Vincere conſilii dexteritate queas.
Sic tibi divitias, tibi ſic cumulabis honores,
Si quid habent veri carmina noſtra vale.

In Diem Natalitium Nobiliſſimi & Generoſi DN. SITICHII à SCHLITZ cognomento Görtz.

QVod ſi Magnanimi quondam celebraſſe Quirini
Fertur natalem Martia Roma diem.
Me decet hanc merito celebrare poemate lucem,
Quæ redit & liquidis exuit ora vadis.
Sed quid forte velint mea carmina forte requiris,
Gloria GORZIADVM, GORZIADVMve decus.
Cauſa patet, memorem teſtantur talia mentem,
Qualia nobilitas ſcribere veſtra jubet.
Nam licet Iliadam jactet prædicta Quirinum
Roma, triumphati quæ caput orbis erat.
Veſtra tamen longè virtus graviora meretur
Nomina, Teutonicis nomina nota plagis.
Nam tu ſanguineum moderaris Apolline Martem:
Talis Alexander, Scipio Talis erat
Nec minus Aonias dignaris honore Camænas,
Hinc favet ingenio Calliopæa tuo.
Hinc tot ſemideos ſuperas virtute Monarchas,

Qui

Qui genus à celſa nobilitate trahunt.
Ergo vel Aſſyriis tua tempora ſparge corymbis,
Sive lita Genio debita thura tuo.
Pelle procul curas, procul inde remitte labores,
Poſcit natalis gaudia læta dies.
Interea placido faveat Rhamnuſia vultu,
Perſtet & ad votum certa tenaxq; tuum.
Quod ſupereſt, rutilis Tithonia vecta quadrigis
Hanc tu natalem ſæpe revolve diem.

Ad ſuum ſympalæſtritam jam jam abiturum.

TV quoniam patriis diſcedere longius oris
Sive paras longæ tædia ferre viæ.
Juſſus Apollineos volui deducere verſus,
Concidat ex animo ne mea Muſa tuo.
Ergo bonis avibus vadas, te larga manebunt
Præmia, dum largas experiere manus.
Nec minus optatas tradet tibi PRVSSIA laudes,
Quæ procul à patriis te jubet ire focis.

Luſus Poëticus ſuper

Reo & judice in Parlamento Aquenſi litigantibus, f. Lugduni in Gallia.

Reus.

HVc ades, & trepido judex da jura clienti,
O deſiderio jura petita meo,

Huc

Huc ades & miſero tandem ſuccurre labanti,
Claudicat in mediis nam mea cymba vadis.

Judex ℞.

Trade prius placido mihi fulgida munera vultu,
Qui petis auxilium conſiliumq; rogas.
Qualia nî dederis, tunc nil tibi CVRIA *prodeſt,*
Curia quæ plenas poſtulat ære manus.

Reus.

O ſcelus; ô patrii reverentia nulla ſenatus;
Qui calcat pedibus jusq́; piumq; ſuis.
Altera pars faſces, vendit pars altera leges,
Hinc queritur læſam ſubdita turba fidem.

Judex.

Ergo Theoninis quid vulnera dentibus infers,
Ergo ſoles variis me lacerare modis.
Nunquid in humanis generoſa PECVNIA *rebus*
Ludit, & imperio ſævit ubiq́; ſuo.
Hinc ſunt divinæ venales undiq; leges,
Hinc Themis, hinc auro conciliatur honos.

Curia.

Quando paras noſtris contendere fortiter haſtis
Quando paras medio bella movere foro.
Reſpice Cauſidicum, Rabulam cum judice Fiſcum,
His niſi tradideris munera nullus eris.

De

†

De curiæ effectu.

CVRIA dat CVRAS, canos dat CVRA capillos,
Hinc dolor, hinc macies, mors propiorq́ʒ venit.

Pugna duorum.

SI vacat, ingentem recitabo moventia riſum
Carmina, ſunt elegis quæ decoranda meis.
Nuper ubi plenis juvenes certare culullis,
Ducere nocturnos ſeu voluere choros.
Conflixere duo proceres, mirabile dictu,
Sæpe vel iratas conſeruere manus.
Alter ait ſævos, quid vis, qui vulturis ungues,
Cuncta quibus raptas, deſidioſe geris.
Alter ad hæc grandes poſthæc dabis improbe pœnas,
Legitimi fallis qui pia jura thori.
Vtraqʒ pars diræ ſpargit convitia linguæ,
Sive per alternas verbera dura vices.
Immiſcentq́ʒ manus manibus, pugnamq́ʒ capeſſunt,
Pugnus erat ferrum, ſpicula vitra dabant.
Hinc prætor trepidam ſteterat commotus in iram,
Cœperat & tales ore dediſſe ſonos.
Fulmina vos maneant, vos Goſius arbiter orci
Torqueat ardenti ſub Phlegetontis aqua.
Hos ultra Tanain juſſit Nilumq́ʒ repelli,
Hos juſſit collo vincula dura pati.
Interea ſteriles præbebant voce tumultus,
Dum fuerat clauſis janua clauſa ſeris.
Ergo ſint quanto ſolennia talia bello
Obruta, deſcriptis ordine rebus habes

In

In vulgatum illud R.

Recipe carnes MALI MEDICI, contundantur in mortario & fiat infuſum: f. Baſileæ.

FOrte ſenem MEDICVS morbo relevare parabat,
Forte dabat tali talia verba ſono:
Huc ades, & MEDICI carnes, precor, accipe MALI,
Qui petis auxilium, conſiliumq́ rogas.
Audiit hæc alius, juxta qui ſæpe ſedebat,
Cæperat hinc gelido contremuiſſe metu.
Nemo Machaonias pejus quo calluit herbas,
Sic fuit indicio proditus ipſe ſuo.

In Betulam.

BEtula cede procul, nemoralibus abdita ſylvis,
Nunquam ſylveſtrem digna tenere locum.
Nil niſi nam ſteriles prodes producere virgas,
Sive ruis variis undiq́ mota Notis.

In inſignia Siringiana.

PAnde novenarum Clio ſuprema ſororum,
Cur extet clypeo NVNCIVS ille meo.
Sic ego. ſic Clio, dubius quid talia quæris?
Accipe, quid veri nuncius ille notet.
Ille velut celeri ponit veſtigia paſſu,
Gaudet & abruptis ſcandere ſaxa jugis.
Sic tua candidulis virtus circumvolat alis,
Sive petit celeri culmina ſumma gradu

Ad

Ad Dn. Jorgerum.

SIve ſoporiferas nox frigida ſparſerit umbras,
Sive dies rutilis fulſerit alma rotis.
Te toties memoro, toties promiſſa recordor
Munera, quæ veſtri ſigna favoris habent.
Ergo, precor, tenuem memora Jôrgere Poëtam,
Et deſiderio perge favere meo.
Non mora, ferventem juvenis reſtingue calorem,
Factaq; pollicitis addere perge tuis.
Sic Jôrgere meos numeraberis inter amicos,
Sic mihi perpetuo fœdere junctus eris.

Ad Dn. Euſtachium Henrici.

SCilicet ut Thamyras nemoralibus abditus antris,
Mulſit Apollinea, ſaxa ferasq; , lyra.
Sic tua nos Latiis oratio reddita verbis.
Traxerat, ô votis ſæpe petita meis.
Dum motus ſtimulis longè vehementius arſi
Veſtri colloquio liberiore frui.

Super agyrta ſeu dentifrangulo quodam, qui in publico hominum congreſſu ſua medicamenta ad nauſeam uſque gloriosè declamitabat.

ROma Lupercales jactet celeberrima Ludos,
Roma triumphati quæ caput orbis erat.
Illa tamen noſtræ rident ſpectacula menti,
Qualia ſunt oculis ſæpe notata meis.

Sunt

Sunt duo clamoſis qui vocibus omnia complent,
Sunt duo qui mira garrulitate nitent.
Alter rugoſo recitat digniſſima riſu
Verba, dat obſcœnos non ſine felle ſales.
Hic crepat, hic ſtolido ſaltat velatus amictu,
Hic movet ad pulſam crura femurq́; Chelyn.
Hic ſalit, hic varios fingit quaſi ſimia luſus,
Dum fugienda facit, dum facienda fugit.
Nec minus excuſſis agitat veſtigia lumbis,
Mos ut in Italicis urbibus eſſe ſolet.
Alter at obliquos novit confringere dentes,
Sive levat medica vulnera dira manu.
Inde vel inſignem ſe judicat ille Galenum,
Hinc tantum rectum, quod facit ille, putat.
Inde parat publicis ſua facta probare ſigillis,
Nomen ut à vana laude referre queat.
Me Medici celebrant, inquit, mihi gloria ſurgit,
Teſtis erit Latium, Gallia teſtis erit.
Vera loquor, noſtros magis & magis auget honores
Quæ jacet Herciniis Pannonis ora jugis.
Cætera prætereo, quæ ſi narrare liberet,
Creſceret hæc elegis pagina longa meis.
Deficiunt alii, non deficit ille loquendo,
O ſola turpem garrulitate virum.
Qui ſua per ſteriles vendens medicamina nugas,
Sic ſibi divitias, ſic ſibi quærit opes.

Super

Super memorabili quodam φαινομένῳ quod apparuit Marpurgi.

SI libet arcanos elegis prædicere caſus,
Talia fatidico Carmine viſa canam.
Nuper ubi rutilo micuere crepuſcula cœlo,
Sparſerat ignitos fulgida Luna globos.
Hic qua montoſam Lanus præterfluit urbem,
Quæ de ſanguineo nomina Marte tenet.
Mox ſecuit rutilis ales Iovis aera pennis
Mox miles rigidas cinxerat enſe manus.
Adde quod Arboreis ſteterat crux juncta capillis,
O dolor ô patriis omina dira focis!
Ergo Pierides quæ fata futura videtis,
Pandite quid veri talia viſa ferant.
Fallor an horrendis ruet Heſſia merſa procellis,
Heſſia vulneribus languida facta ſuis.
Sentiet hoſtilem forſan Germania pœnam,
Sive ſit hæc peſtis, ſive ſit illa lues.
Prælia nam miles patrias nova Luna ruinas
Nunciat, & miſeram crux truculenta Luem.

†

Damna notat GLADIVS, *peſtem* CRVX, LVNA *ruinam.*

Anno quo

VVLnera Dat pVgnaX Mars, aVt noVa LVna rVInas.

Ad Chriſtum, noſtrum Salvatorem.

SAlve ſancta Dei ſoboles, ſanctiſſima ſalve,
Quam genitrix ſalva Virginitate tulit.

Salve

Salve ſancte puer, Verum de Lumine lumen,
Qui ſolet humanas ſuſtinuiſſe vices.
Scilicet ut noſtros poſſit mollire dolores,
Et miſeris medicas applicuiſſe manus.
O nimium miſeros, nimium miſerate labantes,
Nos tibi naſcendi maxima cauſa ſumus.
Nam niſi vitales hauſiſſes luminis oras,
Horrida nos ſtygiæ pœna maneret aqua.
Per te lapſa ſalus, per te divina reſurgit
Gratia, divinis nobilitata bonis.
Ergo vel ætherei domus aurea plaudat Olympi,
Gaudeat & niveis plurima turba togis.
Dicat Io, ſummum colat ore canente tonantem,
Cujus habet ſolo munere, quicquid habet
Cuncta fremant, rauco reſonent reboantia cantu
Organa, ſtent celeri tympana mota manu.
Interea tutam nobis concede quietem,
Dira vel afflatu diſcute bella tuo.
Deniq; ſi noſtra tangit te cura ſalutis,
Suſcipe nos placido, ſuſcipe Chriſte ſinu.
Vndiq; nam variis Eccleſia mota procellis
Languet, & extremum ſuſtinet ægra diem.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

In quempiam faſtuoſum Tholoſæ degentem.

ILle, rogas, tumido repleat cur pectora flatu,
Cui dedit hæc aliquem curia noſtra locum.
Abdita cauſſa latet, ſed ſi modo vera fatemur,
Nil tumidus cerebri, crede, bubulcus habet.
Nam ſolet Aonias morſu lacerare Camœnas,

Nam

Nam putat Imperio ſubdita quæq; ſuo.
Cum non ſit patulam Muſis præbere matellam,
Dignus, & immundas paſcere monte ſues.
Naviget Anticyras igitur, vel perluat illic
Helleboro ſtolidum terve quaterve caput.
Inprimis mediam properet pertundere venam,
Sic gravis è ſtolido corpore faſtus abit.

Suo Parenti in proſperum novi anni auſpicium.

SI vacat attentas præbere canentibus aures,
Me juvet Aoniæ tangere plectra lyræ.
Tympana pulſa ſonent, mea pectora tota reſultent,
Et renovent patrios gaudia clara Lares.
Nam nova puniceo ſurgens Tritonia curru
Inficitur teneras ſole rubente genas.
Inde decet charo pia fundere vota parenti,
Candida quod pietas, quodq; requirit amor.
Ergo pater memorem teſtantia munera mentem
Accipe, quæ magni muneris inſtar erunt.
Impia te nullis poſthac fortuna procellis
Obruet, ancipiti quæ ſolet ire gradu.
Pinguis, ut ante, ſuas venter bene digeret eſcas,
Hinc rurſus valido corpore ſanus eris.
Sanus eris membris, turpiſſima tuſſis abibit,
Teq; trahent Pylii, cum genitrice, dies.
Nam nova ſtellifero fulgentia ſidera cœlo,
Ire procul morbos & mala quæq; volunt.
Interea ſacris crepitet bene Laurea flammis,
Pars ſit & in votis nulla caduca meis.

De

De Cochleari ſuo.

Jactent Phidiacis ſe fulgida pocula ſignis,
Et qua ſub Tyria concha ſuperbit aqua.
Chara tamen chari rident mihi dona parentis,
Qua poterunt noſtras condecorare dapes.

Deſcriptio Itineris Gauderani.

SCilicet ut magnos excepit Roma Quirites,
Quondam Romanos cum petiere lares.
VVoida turgeram ſic me deduxit ad arcem,
Qua jacet excelſo Gaudera clara jugo.
Poſtquam per ſylvas, per dura vireta, per alpes
Sape tuli longa tadia longa via.
Altera cum nitidos aurora reduxerat ortus
Tulſnerus variis approperabat equis.
Dicitur & levibus portas intraſſe quadrigis,
Cujus erat magnas ſuſtinuiſſe vices.
Ille mihi ſummum quo teſtaretur honorem
Sape dabat tales & ſine fine ſonos
Jungant Herculeo nos Maſſica pocula nexu,
Candida nos firmo jungat amore fides.
Scilicet ut viridi ventura juventa ſub avo,
Spectet amicitiam me coluiſſe tuam.
Interea clari conjux cariſſima VVoida,
Capit Apollineam juſſa moveri chelyn.
Plenaq; Rhenano ſtagnabant dolia muſto,
Atria dum niveis ſparſa fuere roſis.
His actis patrios voluit remeare penates
Rurſus & uxorem viſere quiſq; ſuam.
Hinc ego paucorum poſt intervalla dierum,

Hannoviæ noctem ſubſtiteramq́ꝫ diem.
Et poſtquam ſuetis rediit Tritonia bigis,
Credideram Mæni meq́ꝫ meosq́ꝫ vadis.
Donec ad optatum delatus navita portum,
Et fuerat noſtræ metaperacta viæ
Nunc ita, quam claro res tota ſit acta triumpho,
Lector deſcriptis ordine rebus habes.

In nuptias
Dn. FRIDERICI LEUTNERI.

HVc ades armatis pharetrate Cupido ſagittis,
Huc ades Idalio Cinxia cincta choro
Huc Hymenæe veni, Charites Dryadesve puellæ,
Nec minus Aoniâ fingite vota chely.
Ferte leves Syriæ Satyri fragrantis odores,
Quicquid habent Arabes , quicquid & Indus habet
Bacche veni, niveis circumdate tempora ſertis,
Te ſine non aliquod ſuſcipiemus opus.
Huc properate Deæ, vobis ſin ſingula curæ,
Subdola nam mollis ſpicula torquet Amor.
Cuncta fremunt plauſu, bini junguntur amantes,
Agmina per latas approperantq́ꝫ vias.
Altera pars ſponſam, ducit pars altera ſponſum,
Hinc reſonant agili tympana pulſa manu.
Alter in alterius multam potare ſalutem
Et parat & rutilo corda levare mero.
Hic ubi virgineis circumdata ſponſa catervis,
Occubuit jaculis Ian FRIDERICE tuis.
Quæ ſuperat roſeo reliquas candore puellas,

Quæq́ꝫ

Quæq; gerit nitidis æmula labra roſis
Os humeroſq; Iovi ſimilis ſplendore lapillos
Exæquat Parios, Penelopesq; fidem.
Iupiter hanc Ledæ præponit, gloria quamvis
Leda puellari dicta ſit eſſe choro.
Ergo ſponſe tuo ſuſpende monilia collo
Frondeq; conſpicuum cinge virente caput.
Edita BECKIACÆ IVLIANA propagine gentis
Nam cadit in thalamos BECKIA caſta tuos.
Ceu Thetis Æmonio Nerëia Nympha marito
Ducta fuit, multis ante petita procis.
Interea Paphias Leutnere ſecute columbas
Figere mox ſponſæ baſia perge tuæ.
Hancq; ſinu teneas, alii muliebria tentant
Corpora dum pedibus preſſa ferire ſuis.
Quæ licet immiti vis imperioſa tyranno,
Quem juvat aſſiduâ bella movere manu.
Contra caſta tuum complectere ſponſa maritum
Quod volet ille, velis, quod negat ille, neges.
Conferet hæc Pyliam vobis medicina ſenectam,
Sic referent veſtram ſecula noſtra fidem.
Deniq; legitimo vos fœdere Cinxia jungat,
Diſcite vos tali ſubdere colla jugo
Nam poterit celeres vitare Cupidinis arcus
Nemo, vel Idaliæ retia torta Deæ.
Ille licet vaſtas geſtet ſub pectore cautes,
Ille per Heſperias approperetq; plagas.
Vos pia fata regant, vos mutua gratia firmet,
Diligat ille ſuam, diligat illa ſuum.
Et quot purpureos viridis parit uva racemos,
Edite tot caſti pignora caſta thori.

b In

In quadrigam Beckianam.

QVisquis ades noſtræ ſpectes monumẽta quadrigæ,
Quæ ſunt carminibus concelebranda meis.
Tres tribus ingenuis natæ nupſere maritis,
(Hinc nitet antiqua nobilitate domus)
Varnbulere tibi quarum, reor, una ſororum,
Scilicet ingenuo munere juncta fuit.
Fert Stutgartinus cui multa negocia Princeps,
Multa miniſterio conficienda tuo.
Altera Sprengero, qui jura dat æqua clienti,
Servit & Heſſiaco non ſine laude Duci,
Tertia pòſt Mylio, cui turba novena favebat,
Qui Marpurgiaci pars Heliconis erat.
Sed jam quarta venit Leutnero ducta marito,
Qui ſpes Beckiacæ ſola ſalutis erit.
Quiq; genus decorat, quo Cæſaris aula ſuperbit,
Cujus & eximium gloria nomen habet.

In Neophytum Dn. Karkens.

FInge tibi læto Karken nova gaudia vultu,
Funde vel ad varios Lydia plectra modos
Funde chelyn, Tyriis ſit frons redimita corymbis,
Et cingat veſtrum Spica Ciliſſa caput.
Nam tua maſculeam conjux cariſſima prolem
Protulit, æſtivos cum canis urit agros.
O generoſa dies fulvis enixa quadrigis!
Nata patre ſoboles qua generoſa fuit.
Ergo creſce puer felicibus edite ſtellis,
Fulgida qui Clarii gloria fontis eris.

Linquet ubi viridis tenues infantia cunas,
Veſtiet & niveas bella juventa genas.
Hinc referes celebrem patria virtute parentem,
Nam generat timidam non leo fortis ovem.

In diem Natalitium
DN. de STETTEN,
Dn. avunculi ſui honoratiſſimi.

T*Alis ubi noſtras nuper pervenit ad aures*
Nuncia vox, animo nuncia grata meo.
Quod nova natalem portet Tithonia lucem,
Qua debes Genio ſolvere dona tuo.
Scilicet in teneros volui deſcendere luſus,
Et dare Caſtaliis carmina digna vadis.
Sed quid forte velint mea carmina, forte requiris,
Scribere quæ pietas, grataq; Muſa jubet.
Crede prius gravidas Pontus producet ariſtas,
Terra dabit ſtellas, & feret ignis aquas.
Quam veſtri noſtros ſubeant oblivia ſenſus,
Quam pars officii claudicet ulla mei.
Tale meos igitur carmen declaret amores,
Teſtis & officii ſit maneatq; mei.
Intereà largis adſit Rhamnuſia bigis,
Et cumulet variis teq; tuosq; bonis.
Tu quoque feſta dies rutilis revoluta quadrigis,
Sæpe redi, numeris concelebranda meis.

In Evang. Luc. 8. de multiplici ſeminis genere.

RVſticus ut viridi mandans nova germina campo,
Segregat à rigidis alba liguſtra roſis,
Sic ſic divini Chriſtus bona ſemina verbi
Spargit, & à ſtygiis purgat ovile lupis.
Dæmonis hic cæcos novit cohibere furores,
Diſſipat hic radiis nubila furva ſuis.

In ſacroſanctam Crucem.

CRux tibi dura necem, mihi crux tua ſæpe ſalutem
Attulit, ô animæ portio Chriſte meæ!

In Lauream Poeticam.

QVicquid lativagi latiſſima machina mundi
Continet, exigua concidit omne mora.
Singula Tartareis mergit mors invida lymphis,
Sola ſed horribili laurea morte caret
Laurea poſt cineres, poſt ultima fata vireſcit,
Et manet, & triſtes effugit una rogos.

In Crucem Vercellenſem.

FVlgida ſi ſacros regeret ſapientia faſces,
Creſceret innumeris Curia noſtra modis.
Sed quoniam nitidos vulgo concedit honores,
Fraus regit, & latebris iusq; piumq; latet.

Ad

Ad Dn. JOH. MARTINUM Horsium.

ANſeris optatum bibulos invitet ad eſum,
Qui de MARTINI nomine nomen habet.
Namq; dies agitur, multos revoluta per annos,
Feſta dies multo concelebranda mero.
Ergo voca veteres ſic lege jubente ſodales,
Qui Martinicolis annumerandus eris.
Sic tibi Theſeum mox conciliabis amorem,
Sic ſolves bibulo debita dona Deo.

In ſomnium quod apparuit amico.

NVper ubi tepidos ſomnus ſubmiſit ocellos,
Terrebant animum talia viſa meum.
Candida lugubri mulier proceſſit amictu,
Et fuerat juveni juncta puella viro.
Inde mei trepido riguere timore capilli,
Hinc gelidum toto pectore frigus erat.
Ergo Dea quoniam vos fata futura videtis,
Dicite, quid veri talia viſa ferant.
Forſan defunctam conjux cariſſima prolem
Edet, & hinc trepidus nil niſi leſſus erit.
Namq; notant grandem connubia talia luctum,
Sive ſecuturis gaudia miſta malis.

Ad Generoſum Dn.
GEORG. SITICHIUM à SCHLITZ cognomento Görtz.

SIccine Saxonicis gaudes ſuccedere campis,
Et Francfurtani deſeris arva ſoli.
Vndiq́ cum madidis ſævus fremat Æolus alis,
Hinc Notus, hinc Boreas turbine bella gerant.
Sed quid jam veſtras onero prolixior aures,
Suſpicor hic elegis non opus eſſe meis.
Vade bonis avibus pietas per rura, per alpes,
Monſtrabit tutas ingenioſa vias.
I nunc, Saxonicas poſtquam luſtraveris urbes,
Incidet in veſtros bella puella ſinus.
Tunc tibi (ni juvenem fallũt epigrammata vatem)
Subdola virgineus tela parabit amor.
Interea tenuem memora generoſe Poëtam
Phosphore Gorziadum, Gôrziadumve decus.

Ex Matth. 23. v. 27. in Phariſæum.

NOn ſecus exterius ſplendent ac buſta, ſed intus
Condita ſub ſaxis putria membra fovent.
Sic fulget ſcribæ pietas externa, ſed intus
Corda gerit ſtygio commaculata lacu.

Suo Parenti in novum annum.

FVlgida cæleſtem ſphæra Tritonia curſum
Finiit, & rutilis fulva recurrit equis.

Inde

Inde ſequi veteres ſolito de more Poetas
Candida me pietas, & pia Muſa jubet.
Ergo veni Clariis Clio comitata puellis,
Et mea Caſtaliis ſparge labella vadis.
Scilicet ut charo pia vota litare parenti
Et poſſim tenerum prodere mente melos.
Nam cui pauperies obſtat, reſonantia mittit
Carmina ſeu docta nobile mentis opus.
Ergo pater placido cantata poemata vultu
Suſcipe, quæ magni muneris inſtar erunt.
Te pia fata regant, te numinis aura gubernet,
Te maneant Pylii tempora longa ſenis,
Gargara quot meſſes & quot Methymna racemos,
Quot Sycion baccas, quot gerit aſtra polus.
Tot poſt perpeſſas curas, multosq́; labores
Exhilarent noſtram gaudia læta domum.
Hactenus immenſum curis conſumſimus ævum,
Sæpius & varios ſpeq́; metuq́; dies
Deniq́; purgato fugient ſed nubila cælo,
Namq́; nitet pulſis Cynthia fulva Notis.
Interea graciles Charites deducite verſus
Et numeris Iani concelebrate diem.

In Nuptias Dn. Mitteri.

TAlis ubi noſtras vox nuncia contigit aures,
Extitit & patrio fulgida fama ſolo.
Candida quòd claro nubat METERA *marito,*
Qualiter Æmonio Laodomia viro.
Promptus eram melicos plectro deducere cantus,
Atq́; dabam læto talia verba ſono.

Huc ades ornatis Iuno decorata capillis,
Huc offer varias officioſa dapes.
Huc Cytherea veni, tibi ſint ſponſalia curæ,
Pendeat ex humeris hoc onus omne tuis.
Alma Venus celeres ſenſim molire ſagittas,
Necte vel aſſidua mollia ſerta manu.
Surgite jam juvenes, rutilæ date munera Nymphæ,
Quæq; tenent Arabes quæq; Canopus habet.
Nam quando niveo genitrix nova Memnonis ortu
Surgit, & æquoreis exſerit ora vadis.
Mutuus ardet amor, bini junguntur amantes,
Hosq; triumphali munere firmat Hymen.
Copia dum ſacras juvenum procedit ad ædes,
Quam queo carminibus vix numerare meis.
Cuncta ſtrepunt, rutilo ſtagnant quoq; pocula vino,
Præbet & appoſitos lauta culina cibos.
Ille ſolet longo conſumere tempora luſu,
Ille ſolet feſtos ducere rite choros.
Nunc MITTERE *tuos igitur cantare triumphos*
Incipe, jam trepidos excute corde metus.
Nec mora: ſollicitis releva pia pectora curis,
Blandaq; Rhenano pollue membra mero.
Iam licet Eois pectus variare lapillis,
Fulget enim pulſis Phœbus & aura notis.
Nec minus immiſtis juvenum ſtipata puellis
Incidit in veſtros bella puella ſinus.
Quæ ſub honorato radiantia ſidera vultu
Geſtat, & Ambroſiis tincta labella favis.
Qua non Auroræ roſeo ſurgentis ab ortu
Viſa puellarum pulcrior ulla fuit.

Illa

Illa refert veſtrum, Lucretia caſta pudorem,
Illa refert formam, candida Leda, tuam.
Adde, quod hæc teneras ſuffuſa rubore pupillas
Æquet odoratis lilia miſta roſis.
Ergo pharetrati ſtimulate Cupidinis æſtu,
Non dubita ſegnes præcipitare moras.
Eſt tempus validis ſponſam retinere lacertis,
Te decet ingenua conjuge poſſe frui.
Ergo prius curvo cælum findatur aratro,
Vnda ferat meſſes, & ferat ignis aquas.
Tota ruat læti firmiſſima machina mundi,
Quam cadat ex oculis nympha petita tuis.
Roma cui ſimilem dedit haud antiqua puellam,
Roma triumphati cum caput orbis erat.
Tu quoq; dilectum complectere læta maritum,
Qui ſequitur veſtras, ſponſa venuſta, faces.
Cujus hyperboreum terra penetravit ad orbem
Gloria, Teutonico gloria nota ſolo.
Quod volet iſte velis, ſic ſemper amaberis illi,
Sic nova Penelope, ſic nova Pallas eris.
Interea flagrans vos torreat ignis amantes
Fumat ut accenſis Trinacris Ætna jugis.
Iungite purpureis rubicunda labella labellis,
Et ſimili veſtrum ferte labore jugum.
Mirum quod Lybicas Venus inſidioſa leænas
Perdomet, & tigres, vincat & illa feras.
Claudite Cumæos una feliciter annos,
Ite pares animis. ſit ſine lite thorus.
Mœnala quot cervos, vel quot Methymna racemos,
Gargara quot Spicas, quot gerit aſtra polus.

Splendida tot largis adſit fortuna quadrigis,
Et ſedeat veſtra firma tenaxq; domo.
Vos pia fata regant, vos numina fida gubernent,
Creſcat & in Pylios veſtra propago dies.

In puerulum quendam, qui, cum modum mactandi ſues aliquando videret, inter ludendum proprium fratrem in cunis adhuc jacentem miſerè jugulavit.

SI libet, attentas præbere canentibus aures,
Accipe, quid facti carmina noſtra ferant.
Mactabat pingues Lanius per compita porcos,
Sparſit ubi Scythicas frigida bruma nives.
Ruſtica quod ſoboles tum temporis una videbat,
Hinc poſtquam ſolito ludere more ſolet.
En! jugulat minimum (dictu mirabile) fratrem?
Et lanii ſævas gaudet obire vices.
Tale ſcelus mœſti poſtquam videre parentes,
Eheu per longas obſtupuere moras!
Interea propriam genitor per devia prolem
Quærit, ut hanc duro fuſte dolare queat.
Illa ſed irati metuebat dira parentis
Verbera, dum trepido ſtatq; pavetq; metu,
Ex terrore dedit ſeſe fornacis in ignes,
Et tulit ardenti membra cremanda foco.
Tot demum miſeris genitrix perterrita fatis
Flebat, & ad ſuperos triſtia verba dabat.
Nec mora, ſe liquidas mox præcipitavit in undas,
Et ſic crudeli funere rapta fuit.

Mox genitor tenſis ad fulgida ſidera palmis
Edidit horribiles ore tremente ſonos.
Me mala multa premunt, me ſors inimica fatigat,
Nec requies animo traditur ulla meo.
Vos ô vos ſuperi quod ſi medicamina noſtis,
Noſtra Machaoniâ damna levate manu.
Sed quid vos vanis ſoleo torquere querelis,
Quid nunc auxilium, conſiliumq; peto.
Nemo poteſt noſtros, eheu, mollire dolores,
Sive ſit Hippocrates, ſive Galenus erit.
Ergo vel obſtructo rumpam mea guttura nodo,
Nam mihi crudeli morte perire placet.
Sic ſic innumeros peperit mors una dolores,
Sic tot momento, qui valuere, ruunt.

Idyllion in pugnam Heſſiacam.

Conflixêre duo ſolita virtute Leones,
Non procul à campo, florida Gieſſa, tuo.
Fallor, an horrendis jacuit pars utraq; plagis,
Sæpius hinc neutri pugna ſecunda fuit.
Sed tamen ille reor tandem, quo Gieſſa ſuperbit,
Floruit, & tali murmure verba dedit:
Huc ades armatis ales Iovis armiger ales,
Huc offer vultus officioſe tuos.
Sunt tibi Sex radii, quorum ſplendore coruſcas,
His ſine non aliquod ſuſcipiemus onus.
Scilicet ut noſtras mox ſentiat Heſſia vires,
Porrigat & victas in mea vincla manus.
Sic mihi, qui mortem vel tela vel arma parabat,
Crede mihi noſtros concidet ante pedes.

Florida ſic ſocii langueſcent lilia Galli,
Lilia quæ vento prætereunte cadunt.
Ergo mihi reliqui tribuant decus omne Leones,
Me Vates celebrent, & mea facta canant.
Nam mea laurigerum victoria terruit hoſtem,
Cujus in auguſto pectore robur erat.

De Aſello Iſidem portante.

ISidis immundus cum pondera geſſit aſellus,
Turba vel Iſiacos concidit ante pedes.
Mox ſibi tam clarum tribuebat aſellus honorem,
Cenſet honorato ſe ſimilemq; Iovi.
Noluit hinc faſtu turgens procedere, donec
Sæpius ingenti fuſte dolatus erat.

Ad Wahlium.

CLara tibi claras Nemetum matricula laudes
Præbuit, ô timidis anchora firma reis.
Omnia nam lati ſpatioſa volumina juris
(Ni fallor) veſtra ſunt revoluta manu.
VVahli conſilii nam dexteritate refulges,
Hinc inter ſcribas ceu nova ſtella nites.

Ad Dn. Prætorem à Gunterodt.

VIve, vale, verâ qui nobilitate coruſcas,
Cui dat ſupremum curia noſtra locum.
Quiq; regis patriam patriis virtutibus urbem,
Miſſa, precor, placidâ carmina fronte legas.

In

In vinum medicatum.

TAlia Pæoniis genitor cape pocula ſuccis
Miſta, Machaoniâ vinaq́; facta manu.
Sic mox regnantem poteris depellere morbum,
Sic dabitur membris, quæ fuit ante, quies.

†

Hæc tibi mox veterem reddet medicina ſalutem,
Ergo pater trepidos excute corde metus.
Hæc tibi Pæoniis ſtagnantia pocula ſuccis
Proficient, medicâ vinaq́; facta manu.

De Homero.

OCcidit ante diem, quoniam dubitavit Homerus
Solvere fabellam callide Nauta tuam.

In par nobile conjugum.

SIccine tu binos ſenſim conjungis amantes,
Hosq́; premis jaculis ſæve Cupido tuis.
Vtraq́; cum rigidos habeat pars vulturis ungues,
Polluat hæc formam, frangat & ille fidem.

Suo Præceptori.

ME debere tibi referam, tuus uſq́; manebo,
Donec in hoc calidus pectore ſanguis erit.
Tradita nam noſtræ nuper lanuginis ætas,
Sit niſi præceptis erudienda tuis.
Non ego Caſtalios poſſem de fonte liquores
Sumere, nec Latio reddere verba ſono.

In Ariſtidem.

JVſtus Ariſtides patriis diſcedere terris
Cogitur ob forti parta trophæa manu.
Et luit injuſtam Themiſtocle judice pœnam,
Sæpe tamen clari quem coluere Duces.
Sed tandem patrias precibus revocatus in oras
Geſſit laurigera regia ſceptra manu.
Sic pietas nulli cedit generoſa furori,
Sed viget, & fulvis preſſa triumphat equis.

Fumante olla ſumat amicitia.

QVando per mediam ducis convivia noctem,
Et tua ſunt rutilo dolia plena mero.
Mox tibi Theſæum junget fortuna ſodalem,
Non te, ſed veſtras diliget ille dapes.
Sed ſi dura cadunt, ſeu te mala fata fatigant,
Tunc fugit, in mediis teq; relinquit aquis.

In Carolum Magnum.

QVod tulit innumeros Germania ſola triumphos,
Quodq; premit pedibus plurima regna ſuis.
Hoc debere tibi nos Carole Magne fatemur,
Inter honoratos connumerande Duces.
Vicit Romanos tua gloria bellica Reges,
De qua judicium poſteritatis erit.
Jactet Alexander ſua prælia, Scipio jactet
Quos vates inter tum poſuere Deos.
Bella tamen longè tu nobiliora gerebas,
Quæ tibi perpetuum conciliare decus.

Ergo

Ergo Germanos memora Romane Monarchas,
Quorum candidulis fama triumphat equis.

In gloriam Germanicam.

GLoria perpetuos Germanica durat in annos,
Quam poterunt nulli diminuiſſe dies.
Donec candidulo labentur lumina Cælo,
Donec erit Phœbus, Cynthia donec erit.

In interitum Germaniæ.

QVid ſibi Germani facies vult pallida regni,
Forte docet ſummum non procul eſſe diem.

In victoriam Cæſaream.

ASpice quam dubiis volitet fortuna quadrigis,
Quæ ſolet inſtabili debilis ire gradu.
Nunc IOVIS armigerum VOLVCRIS notat ungue leonem,
Diripit & roſtro LILIA fulva ſuo.
Mox niſi me veterum fallunt oracula vatum,
Parebunt AQVILÆ FÆMINA, VIRGO, PVER.

In

In felix novi Anni Auſpicium.

Illuſtriſſimæ & Celſiſſimæ Principiſſæ ac Dominæ, Dominæ CHRISTINÆ SOPHIÆ, Haſſiæ Landgraviæ, Comitiſſæ in Catzenelenbogen, Dietz, Ziegenhain & Nidda &c.

Τὸ χαίρειν καὶ δεῖ πράττειν.

URite Pierides blandos nunc thuris honores,
Ac tenerâ ſuaves reddite voce ſonos.
Reddite voce ſonos, duri procul ite labores,
Phœbus arundineas poſcat Apollo lyras.
Tibia curva ſonet. Tyrio quoq; tempora nardo
Cingite, dum cuncti laurea ſerta ferunt.
Vos date Caſtalio reſonantia metra cothurno,
Ruſticus & ſolvat fervida colla bovi.
Vomere ceſſet opus, laſſus requieſcat arator,
Nec liceat penſis impoſuiſſe manus.
Plaudite ſed cantu, ſint ora faventia ſacris,
Atq; cadat noſtris icta juvenca focis.
Nunc novus annus enim ſeſe Indo è littore tollit,
Atq; novum croceo ſplendet in axe jubar.
Piſce peregit iter Titan, rediêre Calendæ,
Feſta, lux comptis ac veneranda comis.
O veneranda dies! Regalia munera Chriſto
Quâ quondam è terra divite miſit Arabs.
Sed mihi divitias non Lydius aurifer amnis,
Dives Pactoli nec parit humor opes.

Ergo

Ergo Butisbaci Phrygiis innixa columnis
Alta domus, ſalve marmoreumq́ ſolum:
Marmoreumq́ ſolum, ne te nunc fulmina Martis
Turbent, ô Pylios vive vireq́ dies.
Spes alat agricolas, ac ſuavia ſecula mores
Mutent, ne vobis publica jura cadant.
Macte piis avibus, non ſemper bella movebit
Hoſtis, ſed tandem pacis amator erit.
Maxima nam diri compeſcitur ira leonis,
Ac tandem præbet bos ſua colla jugo.
O utinam Phœbus poſſet revocare PHILIPPVM,
Qui fuit Haſſiacæ fida columna domus.
Sol non eſſe poteſt veluti ſine luce, PHILIPPO
Sic haud defuncto Principe grata dies.
Sed ſic fata ferunt: forſan poſt nubila ſurgens
Proferet auricomus Phœbus ab axe diem.
Fer Deus interea viduæ ſolatia menti,
Quo poſſit tutâ ſceptra tenere manu.
Sceptra manu teneat, patrii memorabile mundi
Nomen, cunctorum gloria ſumma Ducum.
Non ſecus Herculeis ac populus alba capillis
Anteit, ac nitidâ Cynthia luce nitet.
Non ſecus ac tenues inter ſtat gemma lapillos,
Inter ſic alias Nirea forma nites.
Friſia quam genuit, Regali è ſanguine conjux,
Splendida Cumææ ſecula vatis agas.
Ante graves alto paſcentur in aere cervi,
Pinguis & in Mœno flumine meſſis erit.
Quam tua Nectareo potior clementia paſtu,
Dulcior ac Hyblis, mente repoſta, cadat

Forma

Forma coruſca vale, tua laus poſt buſta vireſcet,
Ac tua poſt cineres fama ſuperſtes erit.
Cætera vota fluant, feſtis cantate Calendis,
Gaudeat ac roſeis ſplendida turba togis.
Cingite candidulos viridanti fronte capillos,
Atq; vaporiferis thura cremate focis.
Ceu Chriſtus quondam cœlo demiſſus Eoo,
Sumpſit & humanæ debile carnis onus.
Sic Erebi victor cœlo rediturus eodem,
Tollat inhumani flebile Martis onus.

VOTUM ALIUD.

Pro Marte debellando.

SIcelides Muſæ veſtras conſcindite veſtes,
Fas hodie comptas diſſoluiſſe comas.
Diſſoluiſſe comas fas, & renovare querelas,
Ac dirâ teneras ungue notare genas.
Cogimur ah! alios miſeri luſtrare penates,
Ac alii patrios deſeruiſſe focos.
Turbida nam triſtes volvunt incendia flammas,
Ignes in noſtras ſubſiliuntq; domos.
Pellere quos potis eſt doctâ non arte Machaon,
Nec ſplendens parvam tradere Phœbus opem.
Nulla medela tibi, mihi nec Panacæa ſalutem
Confert, ſed leges Marte furente ſilent
Armigera quidam Phœbum cum Pallade jungunt,
Atq; docent Muſas prælia fœda ſequi.
Quid juvat at duras arcu tentare ſagittas,
Ac multos turpi perdere Marte viros.

Galle

Galle tuas forti cum Cæſare jungito dextras,
Conſociato manus, ſiſteque pace malum.
Pellito pacc malum, tantos qui protulit enſes,
Aureus haud quaquam ferreus imò fuit.

Μόνῳ ϗ τρισυποστάτῳ τῷ Θεῷ δόξα.

Ad Dominicum Porſium.

Siccine Pieridum decus immortale ſororum,
Incipis Auſonio fonte levare ſitim.
Siccine perplexos Themidis ſubiiſſe labores
Te juvat, & Muſis applicuiſſe caput.
Cynthia cum patrias cingat caligine terras,
Cunctaq; Cimmerio ſint maculata ſitu
Tradere candidulam tibi Calliopæa corollam
Geſtit, & in thyros florea ſerta legit.
Non ſecus ac ſicco cervus ſtimulatus ab æſtu
Ardet fonte ſuam debilitare ſitim.
Solvere ſic Porſi nodoſa ænigmata Legum
Tu cupis, & Clariis ora rigare vadis.
Dum ducis validos per avita trophæa triumphos,
Cujus ab antiquis gloria fulget avis.
Hector veloces quamvis agat ille Catervas,
Ponat & in viridi ſplendida caſtra ſolo.
Et tentent alii Mavortia prælia ferro,
Facta tamen cunctis ſplendidiora geris.
Forſan Porſiadum veſtigia priſca tenebis,
Quorum poſt cineres fama ſuperſtes erat.
Ergo jubar Themidis conſcende cacumina montis,
Bellaq; Gorgoneis tinge labella vadis.

Nec

Nec ſecus ac fulvis audax gladiator arenis,
ugnat, & audaces inſtruit enſe manus,
Sic cinctus viridi, flaventia tempora myrto
Dulcia ſplendenti prælia Marte geras.
Hinc te cum duplici mox fœnore fama manebit,
Hic ubi candidulis Cynthia ſurgit equis.
Vive bonis avibus, tandem vectabere cygnis,
Atq; ſeneſcentis cura parentis eris.
Interea læto Phœbus Panchaica plauſu
Thura ferat, ſanctis non niſi danda Deis.
Deniq; Sicelides plectro reſonante ſorores
Ducite Pieriis carmina digna vadis.

Ad Dn. BADERUM,
Pro ſummis in utroque jure honoribus diſputantem.

AD caput ante ſuos poterunt revocare liquores
Æquora, vel ſicco gurgite piſcis erit:
Vaſtaq; frugiferas producent flumina meſſes,
Concidat ex animo quam tua fama meo.
Incipis Aonias nam ſcandere Palladis arces,
Incipis & forti tela vibrare manu
Dum geſtis legum celſas evadere moles,
Quæ ſuperant laudes, Bartole magne, tuas.
Hic ubi turrigeram Rhenus celer alluit urbem,
Lætaq; ſub liquidis cornua tollit aquis.
Seu qua Caſtaliis floret celeberrima Muſis,
Argyrope, doctis condecorata viris.
Scilicet & Themidos cupidis geris obruta flammis
Pectora, ceu calidis æſtuat Ætna jugis.

Dumq;

Dumq; gravant alii rutilo ſua corda Lycæo,
Hi captant lepores, hi fera luſtra colunt.
Sumere Gorgoneos rigido de fonte liquores
Te juvat, & medio ducere vela ſalo;
Ille Lycaoniam quamvis ſubmotus ad Arcton
Portet ab Heſperiis, ſuccina fulva plagis.
Attamen his pandam geſtans Aſtræa bilancem
Dona feret pronâ nobiliora manu.
Ergò Laurigeros molire, Badere, triumphos,
Quando moves ductu proſpera bella tuo.
Veſtraq; turbatos victoria terreat hoſtes,
Hector ut armatis fregerat arma viris,
Quo quisquis celeri confixus arundinis ictu,
Cogatur rapidæ tradere terga fugæ.
Hinc Dryades Tyriis ſpargent tua colla corymbis
Succumbet jaculis, captaq; præda tuis.
Hinc te Pegaſeo tollent ſuper æthera dorſo,
Donec erunt ſtellæ, Cynthia donec erit.
Perpetuasq; tuis laudes virtutibus addent,
Qui poteris patriæ Phosphorus eſſe tuæ.
Sæpeq; præclari, Soboles præclara parentes,
Sæpe tibi proavi, ſæpe legentur avi.
Fortis enim fortes edit, generare columbas
Non poterunt aquilæ, nec Leo fortis ovem.
Interea liquidis ſtillent tua tempora lymphis,
Qui veræ titulum nobilitatis habes.

In Dn. Ludovici von Hornigk Stellam Notariorum.

Ad benevolum Lectorem.

HVc ades, Herculeos quicunq; ſubire labores,
Et quondam Scribæ munus obire cupis.
Huc ades, & talem, Lector, venerare libellum,
Qui tibi præmanſos ingerit ore cibos.
Qualiter Ambroſiis puerum nutricula ſuccis
Nutrit, & ambiguas inſtruit ire vias.
Scilicet ut varios rerum cognoſcere caſus,
Sive, queas, medio reddere verba foro.
Condere contractus, celſas evincere moles,
Puraq; compoſitis pingere ſcripta notis.
Adde, quod Aonios debes haurire liquores,
Diſcere vel leges, Iuſtiniane, tuas.
Quæq; ſit elogii ratio, ne neſcius erres,
Iuſtave pro timidis arma movere reis.
Vera per Aonias nam gloria quæritur artes,
Regna regi certa nec ſine lege queunt.
Deniq; tranquillam ſine crimine ducere vitam,
Te decet, & nullam deſtituiſſe fidem.
Qualia ſi ſequeris, ceu fulgida STELLA nitebis,
Teq; vehet rutilis currus eburnus equis.
Qualia ſi ſequeris præclare Notarie laudes,
Nomen & optatas accumulabis opes.
Hinc tibi vel lætos MATRICVLA parta triumphos
Porriget, ô votis ſæpe petita tuis.
Ergo licet publicos auſit contemnere ſcribas
Zaſius, hos ſervos, hos vocet ille pecus.

Ana-

Attamen his verum dat Nobilitatis honorem
Cæſar; ob aſſiduâ facta trophæa manu.
Interea talem pervolve NOTARIE STELLAM,
Exhibet officium quæ pie Scriba, tuum.
Quod ſi transgreſſus fueris, ferus arbiter Orci
Te trahet ardentem ſub Phlegetontis aquam.

In virtutes Morales, ſ. Bredæ in Brabantia.

1. Fortitudo.

FErre triumphalem, virtus eſt prima, Corollam,
Qualis Amyntiades, Portia qualis erat.

2. Temperantia.

Altera feſtivam luxu ſine ducere vitam,
Sobria nec nimio corda gravare mero.

3. Liberalitas.
4. Magnificentia.

Tertia pauperibus placido dare munera vultu,
Quarta jubet magnos tradere dona Duces:

5. Modeſtia.
6. Magnanimitas.

Quinta, reor, modicum virtutibus addit honorem,
Sexta vehit niveis nomina celſa rotis,

7. Manſuetudo. 8. Comitas.
9. Urbanitas.

Septima livores: Octava recedere nugas:
Atq; jubet lepidos prodere nona jocos.

10. Ve-

10. Veritas ſeu Veracitas.

Vltima laſcivæ removet mendacia linguæ,
Quæ nimis à juſto ſunt aliena viro.

†

In definitionem Juſtitiæ.

Optima Iuſtitiæ quæ ſit deſcriptio, quæris?
Gignere quæ leges & pia jura ſolet.
Illa regit populum, libram tenet illa bilancem,
Illa jubet Domino reddere quæq; ſuo.

Seu

Illa Deæ ſimilis, conſtans manet illa voluntas,
Illa jubet domino reddere quæq; ſuo,

†

Tria juris præcepta.

Iura jubent ſterili ſine crimine vivere, nullum
Lædere, ſeu Domino reddere quæq; ſuo.

Ad Dn. D. LOTICHIUM.

G*Loria Lotichidum ſalve, Germania qualem*
Vix habet ingenio nobiliore virum.
Seu Conjux croceo ſcandat Tithonia curru
Æthera, ſeu niveas Heſperus intret aquas.
Sive petas Tanain, Venetas luſtresq; paludes,
Regnaq; te patriâ ſede remota trahant.
Vel quâ Cœruleus Gyndes, quâ Medus Hydaſpes,
Quave ſinus Phrygiam murmure pulſat humum.
Te tamen ingenti complexus amore recordor,
Et tua luminibus currit imago meis.

Can-

Candida nam reliquos ſuperat tua Muſa Poetas,
Quantum ſidereas ſplendida luna faces.
Qui ſuperas Thamyram, dictat cui carmina Phœbus,
Carmina Cecropiis anteferenda thymis.
Nemo Machaonias callet quo rectius artes
Sive ſit Hippocrates, ſive Galenus erit.
Blanda licet clarum facundia tollat Vlyſſem,
Hector & innumeris ſe mihi iactet avis.
Attamen his longè te, fax radioſa, manebunt
Nomina poſt triſtes nobiliora rogos.
Nunc cantas veteres Regumq́ ducumq́ triumphos
Qui tum Cæſareâ ſceptra tulere manu.
Tot profers acies, tot inhoſpita ſaxa, tot alpes,
Totq́ triumphanti prælia facta manu
Prælia picta canens moliris laude labores,
Nectis & hiſtoricæ nobile laudis opus.
Gemmea Phidiaco cui ficta toreumata cœlo
Cedunt, & Lybici nobile dentis ebur.
Nam pereunt gemmæ, pereunt miracula Romæ,
Quicquid & aurifluis congerit Hermus aquis.
Frangit & abſumit validiſſima quæq́ vetuſtas,
Hæc rigidos lapides, hæc adamanta terit.
Sed tua fama viret, tua morte trophæa carebunt,
Vlla nec his ætas, bella nec ulla nocent.
Ergò Caſtalides verno de flore corollas
Imponent capiti, ſtella coruſca, tuo.
Teq́ duces tollent iunctis ſuper æthera cygnis,
Scilicet & largas experiere manus.
His nam dona ferunt, his aurea præmia præbent,
A quibus hiſtoricæ munera laudis habent.

Quis veteres Thebas, quis prælia noſſet Achillis,
Talia ni ſimili munere nota forent.
Interea Pyliam ducat tibi Parca ſenectam,
Longaq́; felici penſa voluta manu.
Quò ferat ingenuas per te Germania laudes,
Dum tua conſpicuis fama triumphat equis.
Nunc poſt perpeſſas moles, poſt magna laborum
Tædia, multa tuo reddito thura Iovi.
Nauta canit veluti, mediis jactata procellis
Cum tetigit portum panda carina ſuum.
Tandem, ne tenui creſcant mea carmina verſu,
Hæc videas operi vota favere tuo.
Quiq́; Theoninis tibi vulnera morſibus infert,
Cedat, & infernis corpora ponat aquis.

Ad Dn. Mitterum.

UNdiq́; cum tortum teneat Bellona flagellum,
Inferat & ſævam dira Megæra luem.
Muſca cadat, varios geminet jactura dolores,
Nec norint aliquem bella tenere modum.
Multa tot innumeros quondam neglecta per annos,
Eruis è Stygio, ſuada decora, ſitu.
Cujus Neſtor eum meruit facundia nomen,
Et cui Cecropio verba liquore fluunt.
Quiq́; Stagyræos monſtras MITTERE, receſſus,
Grandia Siſyphio Saxa labore geris.
Inque pharetratas torquens tua tela cohortes,
Lauriger aſſuetas ducis in arma manus.
Protegis ære caput, fulvis ceu Caſtor arenis
Movit ubi celeri Martia bella manu.

Quò lector Logico poſſit contendere gyro,
Scandere vel facili culmina celſa gradu.
Noſtraq; mox reliquas penetret mens altior artes,
Seu queat extremum tangere calce ſcopum.
Præſtat enim tantos naturæ diſcere mores,
Cynthia cur rutilos fuſca coloret equos.
Vnde trahant homines generis monumenta, colores
Vel pingens varios, cur bibat iris aquas.
Ergo ferat viridis tibi myrtea ſerta juventus,
Et tua Mæonio Carmine facta canat.
Scilicet ingenui nam Præſidis arma gerebas,
Qui multo patrios mactat honore lares.
Sæpeq; maturæ quisquis lanuginis annis
E veſtris largas fontibus hauſit opes
Vincis Ariſtotelem, vincunt tua ſcripta Logiſtas,
Quosq; tulit Latium, Gallia quosq; tulit.
Interea placido veniat Rhamnuſia vultu,
Quæ cantet laudes faxq; jubarq; tuas.
Numina veſtra voco Charites, properate Napææ,
Plenaq; luteolis ferte caniſtra roſis.
Spargite vel talem violis Cedroq; libellum,
Nomen ut à memori poſteritate ferat.
Vndiq; lati vagum cujus diſperſa per orbem
Clara coronatis fama volabit equis.

In effigiem Illuſtriſſimæ Heroinæ Dominæ
CHRISTINÆ SOPHIÆ,
Haſſiæ Landgraviæ, &c.

ILla fuit magni conjux CHRISTINA PHILIPPI,
Illa refert Cajæ, Penelopesq́ꝫ fidem.
Heſſia cui Laudes, cui Friſia luminis oras
Præbuit: hinc SOPHIÆ nobile nomen habet.

Ad Dn. WENDELINUM
ſuper illius Philoſophia Morali.

FVlgidus Heſperiis quot Phosphorus ortus ab undis,
Inficit æthereas ore rubente faces;
Tot tibi magnificos ſpargent nova ſcripta triumphos,
O deſiderio ſcripta petita meo.
Namq́ꝫ doces Ethicos jam VVENDELINE receſſus,
Namq́ꝫ paras aliis præripuiſſe decus.
Scilicet ut viridi ventura juventa ſub ævo
Diſcat in undivago certior ire freto.
Sive queat Sophicis certare viriliter haſtis,
Sive triumphales conſeruiſſe manus.
Nec minus inſtabilem per longa reducere cymbam
Æquora, cum mediis pulſa feritur aquis.
Ergo licet trepidis fugiant Libethrides alis
Turbet & Aonias ille vel ille Deas.
Attamen Eois diſtincta monilia gemmis
Aptabit capiti Calliopæa tuo.
Attamen in Sophiæ cultos digreſſe receſſus
Nomen ab annoſa poſteritate feres.

Donec

Donec erunt celeri labentia ſidera motu,
Donec erunt Vates, Carmina donec erunt.

Epicedion juvenis Gambſii.

SIccine mors viridi juvenem furibunda ſub ævo
Diripis, ô jaculis inſidioſa tuis!
Ergo vel pietas, vel ſpes ſpecioſa, vel ætas
Flectere Lanificas non potuere Deas.
Hei mihi, quam dubii ſunt jura potentia fati,
Dexteriora cadunt, deteriora manent.
Ille fuit viduæ juvenis ſpes unica matris,
Ille fuit Clarii maxima cura chori.
Nil niſi cui ſacri placuerunt ſemina verbi,
Nil niſi divinæ relligionis opus.
Inde vel immiti cum lumina morte natarent,
Voce dabat tales deficiente ſonos:
Alme Pater noſtri ſuavis medicina doloris,
Suſcipe jam placido mortua membra ſinu.
Quid loquar, ut teneros vicit velociter annos,
Dicitur hinc doctis perplacuiſſe viris.
Ergo, defunctum quod ſi Cytherea Phaonem
Sparſit, candidulis occuluitque roſis.
Vos etiam Clariæ GAMBSI pia funera Nymphæ
Vos decet Hyblæis condecorare thymis:
Vos decet aſſiduo ſuffundere lumina fletu,
Veſter Hylas, veſter nam fuit ille Phaon.
Interea trepidas mater depone querelas,
Triſtia quid miſeris fletibus ora rigas.
Deſine, nam nullo placantur Numina leſſu,
Nec flecti Lacrymis pallida Parca poteſt.

Deſine, venturo frater LVDOVICVS in ævo
Supplebit fratris non ſine laude vices.
Quod ſupereſt, ſummũ qui cum genitore Tonantem
Conſpicis, Angelicis annumerande Choris
Vive, vale, nitidi THEODORE nitentia cæli
Tu jam ſub pedibus conſpicis aſtra tuis:
Dum nos ambigua diſcrimina plurima vitæ
Verſant, aſſiduis ſpesq́ metusq́ malis.

In obitum Happelii.

ASpice, quam dubii ſint jura potentia fati,
Aſpice, quam cæcis Parca triumphet equis.
Omne perit, totum latè furibunda per orbem,
Omnia ſub leges mors jubet ire ſuas.
Nil juvat eximiis titulos extendere factis,
Nil juvat à magnis ducere nomen avis.
Quid virtus Priamo, quid candida forma Phaoni
Profuit, Inachio quid Lyra blanda Lino!
Sæpius Aonios Muſarum ſævit in hortos
Parca Meduſæo pernicioſa choro.
Sic, ſic Lethæis mergit mors omnia Lymphis,
Vivitur ingenio, gloria ſola manet.
Hæc viget, hæc durat nullo peritura ſub ævo,
Hæc fugit imperium Parca maligna tuum.
Ergo venenatis quamvis armata ſagittis
HAPPELIVM fato mors properante tulit:
Hic tamen ingenio poſt ultima fata triumphat,
Hic tamen æterno nomine clarus erit.
Donec Apollineæ ludent Helicone ſorores,
Donec & è ſacris profluet unda jugis.

Nam

Nam ſibi laurigeros virtute paravit honores,
Et tulit Herculei grande laboris onus.
Myſtica divino dum munere verba docebat,
In quibus æthereæ ſemina lucis erant.
Cætera quis digno poterit deſcribere verſu?
Quis decus eloquii judiciiq; canet?
Alter ab inſigni vates exurgat Homero,
Talia qui memori carmine quæq; canet.
Interea vita qui nobiliore triumphas,
Gaude, ſorte frui non meliore potes.
Iam capis æternæ cœleſtia gaudia vitæ,
Fulvaq; ſub pedibus conſpicis aſtra tuis:
Dum nos in medio rigidi diſcrimine belli
Verſant ambiguis ſpesq; dolorq; modis.
Quod ſupereſt, doctæ lepidiſſima turba puellæ
Spargite candidulis ſpargite buſta roſis.
Vos ô vos ſcalptis inſcribite talia ſaxis:
Hic virtus, pietas, eloquiumq; jacet.

In nuptias

DN. D. KORNMANNI.

Vincitur Idaliis Clio generoſa ſagittis,
Itq; ſub imperium ſæve Cupido tuum.
Iam Phœbus Veneri cedit, mirabile dictu,
Subjicit & Cypriis ſe pia Muſa Deis.
Illud Acidalio confixe Cupidinis arcu,
Incipis exemplo ſponſe probare tuo.
Nuper enim Veſtris ego cum remorarer in oris,
Tum tua mens Muſis dedita tota fuit.
Nunc verò calidis ardent tua pectora flammis.
Et ſequitur Veſtrum Candida nympha thorum.

Quæ nitet Heſſiacas inter, ceu Luna, puellas,
Quæ tibi Penelope, quæ tibi Pallas erit.
Cujus forma tuos magis & magis auget amores,
Et geminat veſtras Sponſe novelle faces.
Erige feſtivos igitur KORNMANNE Triumphos,
Nam cadit in veſtrum candida SPICA ſinum.
Quæ dabit optatos Syriæ fragrantis odores,
Quæ vincet flores florida Flora tuos.
Illa tibi nigras pellet de pectore nubes,
Illa tibi poſthac dulce levamen erit.
Interea veſtras pariter conjungite flammas
Nobile par, ſimili ſubdite colla jugo.
Vos liget æterno concordia mutua nexu,
Et ſoboles veſtræ ſit numeroſa domus.
Affluat ornatis felix fortuna quadrigis,
Pareat & ſponſo Sponſa novella ſuo.

In Orationem habitam Heidelbergæ à Seniore
DN. D. SPINA,
cum Academiæ inſignia reſtitueret.

HÆc, quæ tot variis fuit Edelberga procellis
Merſa, ſuum rurſus tollit ad aſtra caput.
Ipſe Nicer lætam jam latius alluit urbem,
Ante velut juſti principis aula viret.
Princeps qui populum ſine vi, ſine fraude gubernat,
Quiq; ſuos placida ſub ditione regit.
SPINA diu Martis, nocuit: nunc altera prodit
SPINA, vel innumeris nobilitata ROSIS.

Sci-

Scilicet Aonias monet iſta redire ſorores,
Et nota Medicos excitat arte choros.
Hoc docet Auſoniis oratio reddita verbis,
Hoc probat ingenii nobilioris opus.
Nulli SPINA placet, variis tamen illa Monarchis
SPINA placet, doctis & bene grata viris.
Concedant violæ, concedant lilia SPINÆ,
Et SPINÆ rutilis gloria ſurgat equis.

Epicedion uxoris
Dn. D. LOTICHII.

VEllera Sidoniis flaventia cedite ſuccis,
Ite procul plauſus, purpura cede procul.
Myrtus abi, mæſto ſuffundere lumina fletu
Iam decet, & rigidas dilaniâſſe comas.
Nec minus horrendis frigentia tundere palmis
Pectora, ſeu pavido contremuiſſe metu.
Nuper enim croceis ubi floribus arva virebant,
Majus & Heſperiis extulit ora vadis:
Occidit eximii conjux præclara Poetæ,
Et capit Elyſii gaudia vera ſoli.
Quæ vicit rutili rorantia ſydera Phœbi,
Sydera purpureis candidiora roſis.
Nec ſecus ac viridi vitis ſe ſubjicit ulmo,
Quæ procul haud riguo conſita fonte jacet.
Sic pia dilectum tenuit complexa maritum,
Fulgida cui pietas, eſt cui culta fides.
Qualis honorati Lucretia caſta pudoris,
Qualis & Evadne, Penelopeque, fuit.

Præmia pauperibus præbere benigna ſolebat,
Et fuit ad caſtas nupta parata preces.
Iſta ſed invitis nunquam fera ſtamina Parcis
Flectere, Lanificas nec potuere deas.
Omnia Tartareis perdit mors invida lymphis,
Omnibus & ſævas injicit illa manus.
Pars rapitur Boreâ, vaſtis pars mergitur undis,
Pars ſtricto proprium perforat enſe latus.
Mors ſua quemq́; manet, nil forma, vel inclyta Regum
Gratia, nil pietas, nilq́; juventa, juvat.
Ipſa Venus periit, non vis exemit Atridem,
Bella licet clarâ geſſerit ille manu.
Ars quid Parrhaſio, quid pocula ficta Myroni,
Profuit aut ſuavi Muſa venuſta Lino?
Ergo, coronatos inter celeberrime vates,
Lotichi, madido lumina rore premas.
Hujus enim grandem gignunt tibi fata dolorem,
Cogeris & duras ſuſtinuiſſe vices.
Iam tua ſpes cecidit, te cura domeſtica torquet,
Hinc decet Aoniam depoſuiſſe chelyn.
Plura nec Æolio poſthac cantare cothurno,
Docta nec in graciles cogere verba pedes.
Non ſecus ac rutilum ſiſtunt ubi nubila ſolem,
Daulias occluſo gutture luget avis.
Interea nimio diſſolvere pectora luctu
Incipe, vel pavidos exue corde metus.
Deſine ſollicitis Parcas urgere querelis,
Forte nitet pulſis aura ſerena Notis.
Siſte, precor, Lachrymas, Chriſtus tua damna levabit,
Sis licet in mediis puppe relictus aquis.

Ille

Ille poteſt cunctis, quos vel Dea lubrica curis
Obruit, eximiam ferre ſalutis opem.
Tandem prætereat ne conjugis oſſa viator
Neſcius, hæc elegis erige buſta tuis.
Injice conſtructo violasq́; favosq́; ſepulchro,
Hæreat ut vultu caſta virago tuo.
Quoq; ferat nullo quondam peritura ſub ævo
Nomina Cumæos vivere digna dies.

Reſponſio ad amicum ſuper initio veris.

VEr redit, & felix in terga revolvitur annus,
Cum favet humenti mitior aura ſolo.
Læta novis avium revireſcit cantibus ætas,
Intonat hirſutam ruſtica turba lyram.
Quilibet applaudit, quod frigida bruma receſſit,
Quodq; detur prato liberiore frui.
Terra patet, viridem Zephyri campumque reſolvunt,
Conſpicitur læto ſylva nemusq́; ſinu.
Dicit Iò paſtor, celebratq́; Palilia, rident
Prata, nemus turget, luxuriantq́; greges.
Ludit ager, denſis rediit nova gloria lucis,
Et repetit vetulam ſuavis hirundo trabem.
Crede, nec eſt veteres oblita ciconia nidos,
Et nihil eſt, quod non gaudeat, omne tepet.
Nunc animus juveni rediit, nunc floſculus hortis
Redditus, authori gratus uterq́; ſuo.
Carmina jam viridi pangunt ſua gramine vates,
Dumq́; canit, myrto cingit Apollo caput.

Gramina delectant campos, ſed carmina Muſas,
Flores & verſus non bene bruma parit.
Vere Deus ſtygium vicit rupitq́ꝫ barathrum,
Hinc juvenis meritò tempora veris amas.

In laudem ſtudiorum.

SPernitur ingenium, quicquid mortale requirit,
Stultus ab argento nomina vana trahit.
Sacra dabunt animæ vitam, ſed gloria Baldo
Cedit, & Hippocratem munera larga beant.
Ille legat Baldum, geſtet licet ille Macheram,
Non tamen hinc Baldus, non erit inde coquus.

Super monſtroſo quodam fætu, ad amicum.

H*Vc ades, & geminam*, monſtrum mirabile, *prolem*
Conſpice, Caſtalii duxq́ꝫ paterq́ꝫ chori.
Edidit in Latiis quam mæsta puerpera campis,
Non procul à veſtro Genua clara ſolo.
Vtraq́ꝫ nobilium de ſanguine nata parentum,
Vtraq́ꝫ pars uno pectore juncta fuit.
Vtraq́ꝫ pars animam, geſſit pars utraq́ꝫ barbam,
Vtraq́ꝫ pars ſancta perluebatur aqua.
Alter formoſum retulit candore Phaonem,
Alter deformi corpore turpis erat.
Hic erat intortos breviter curvatus in artus,
Et Tytio ſimilis turpia membra tulit.
Et quater articulis, uno quoq́ꝫ crure carebat,
Aſperior vultu, dira Meduſa, *tuo.*

Hæc ubi tam valido junctiſſima corpora nexu
Nuper luminibus viſa fuere meis.
Vera loquor, rigidi ſteterant horrore capilli,
Et tremuit tacito peſq; manuſq; metu.

In jactabundum.

F*Acta virum faciunt, nil ſesquipedalia proſunt*
Verba, verecundo tradita verba modo.

In obitum Nobilis
Dn. ab OVERBERGK.

Q*Vi fuit eximii Iuvenis ſpes tota parentis,*
Qui fuit Aonii maxima cura chori.
Hunc jam mors viridi rapuit furibunda ſub ævo,
Cogitur hic leges Parca ſubire tuas.
Hei mihi! quam dubii ſunt jura potentia fati,
Vivida nil virtus, nilque juventa juvat.
Overbergke tui felix ſors maſcula partus
Occidit, & veſtri dulce levamen abit.
Nobilis ingenio, teneros feliciter annos
Vicit, honoratis perplacuitq; viris.
Et cui majorem vitam ſi fata dediſſent,
Ornaſſet patrium non ſine laude ſolum.
Magne parens noli triſtari, funera nulli
Parcunt, imperium quæ generale tenent.
Felix, qui primo cecidit ſub flore juventæ,
Ducunt ærumnas tempora longa ſuas.

Votum pro pace poſtea anno 1648. ſubſecuta.

Undiq; cum ſterili regnet Bellona tumultu,
Excitet & ſævos dira Chimæra duces.
Alme pater tutam nobis concede quietem,
Alme pater flatu diſcute bella tuo
Seu Mahometigenas armis excinde cohortes,
Has ultra ſtygios ſive repelle lacus.
Pax ut honoratas transmittat in horrea meſſes,
Horrea lacteolis condecorata roſis.
Pax repleat rutilo ſtagnantia pocula Baccho,
Erigat illa ſcholas, erigat illa domos.
Hinc poterit rigido celebrare Palilia fano
Paſtor, & indomitos paſcere monte boves.
Hinc poterit pingues tutò numerare juvencas,
Ad liquidas ripæ prætereuntis aquas.
Nec minus Aonios ſibi finget arundine cantus,
Per loca, per ſalebras, per vada, perq; vias.
Induet optatum pietas renovata nitorem,
Prata fluent oleo, flumina mella dabunt.
Ante velut bifido ludent Helicone Sorores,
Ante velut populum mollia jura regent.
Lancea ſic raſtro, ſic bellica machina falci,
Sic cedent curvo ſpicula torta jugo.
Sic mox Saturni felicia regna redibunt,
O deſiderio regna petita meo.
Nullus ubi rutilis miles radiabat in armis,
Sed licuit tenui vivere poſſe casâ;
Nec procul à viridi convivia ducere luco,
Quà viret arboreis populus alba comis.

Interea noſtræ proceres miſereſcite ſortis,
Pendeat ex veſtro ſarcina tanta ſinu.
Quid teritis varios fruſtra conventibus annos?
Tempus erit tales præcipitare moras.
Vos ô Semidei, vos ſi medicamina noſtis,
Ferte, precor, largam ferte ſalutis opem.
Per vos quæ cecidit, per vos pax alma reſurgat,
Per vos curari vulnera tanta queunt.
Nam niſi fæcundam reddat concordia pacem,
Squallebit miſero Curia noſtra ſitu?
Dum ſe liligero ſubdet Germania Regi,
Quæ res aſſidui cauſa doloris erit.
Nunc animoſa tuis ergò Germania rebus
Conſule, ne triſti vulnera clade feras.
Gallica vel variis acies inſtructa catervis
Te premat, aut veſtras depopuletur opes.
Quod ſupereſt, calidos reſtinguite fontibus ignes,
Sive MONASTERII nectite pacis opus:
Cum nil tot caſulas, tot fulgida regna, tot urbes,
Proſit ſanguineâ commaculaſſe manu.
Sicut enim craſſi faciunt ubi prælia turdi,
Dantve per alternas livida ſigna vices.
Mox celer admotis milvus ſecat aera pennis,
Hos rapit, hos roſtro dilaniatq́; ſuo.
Sic vos dum ſtricto geritis certamina ferro,
Turcicus Adriacas diripit hoſtis opes.

In mortem Dn. Commendatoris ab Eib, f. Romæ.

C Ontro la morte non bramo riparo, ne ſcudo,
Sarò del ſuo furore voluntieri la meta,
Adeſſo morto, ſto ſuenato, eſſangue è nudo.
Se ne va l' anima mia triomphante è lieta,
Dal ciel de moribundi à quello de vivi,
Dove quaſi in ſua sfera ella reſta quieta,
La non corre l' età, ne manco gli anni,
La gude il luor, ch' il deſio vagheggia,
C' è il riſo il trono, c' è l piacere la reggia,
Con eſſiglio di lagrime è ? d' affanni.

EPITAPHIUM.

T Eutonicam bona fama crucem, CRUX alma ſalutem
Franco vadum tumulum tradidit, EIBA domum.
Tranſegi curſum, liqui mortalia, tu qui
Me ſpectas, ſemper non eris, ecce viam.
Felix qui puram duxit ſine crimine vitam,
Vivere quo, vitâ deficiente, queat.

In auſpicium novi anni

Ad Principiſſam Butisbacenſem, p. m.

S Alve feſta dies, Lux ô Lux annua ſalve?
Pompa coronatis quâ ſolet ire comis.
Altera Penelope ſalve, nitidiſſima ſalve
Portia, Friſiaca celſa propago Domus?

Qua

Quæ ſuperas Parios nives candore lapillos,
Quæ geris Idaliis æmula lab ra roſis.
Quæ fueras magni conjux dilecta PHILIPPI,
Cujus habet nullum Teutona terra parem.
Vnde, rogas, gratam portent tibi miſſa ſalutem
Carmina, Gorgoneis non madefacta vadis?
Hæc FRANCFVRTANIS mittit SPRENGERVS ab oris,
Quod pater, & pietas, & pia Muſa jubet.
Nam novus Heſperiis modo Phosphorus ortus ab (undis,
Illuſtrat radiis ſidera fulva ſuis.
Nam nova candidulis ſurgit Tithonia bigis,
Nam novus æthereo Cynthius axe micat.
Altera pars notis ſua munera præbet amicis,
Altera pars Tyriâ Candida veſte venit.
Altera magniloquo gaudet ceciniſſe cothurno,
Sive parat lepidum prodere mente melos.
Vos igitur Charites, vos ô conſurgite vates,
Vos decet Aoniæ tangere fila lyræ.
Huc ades Aſcræis Clio comitata Camænis,
Nec minus ingenio perge favere meo.
Scilicet ut feſtis Princeps Generoſa Calendis
Carmina nunc veſtro digna favore canam.
Interea ſacros Iano libemus honores,
Et crepitet ſacris Laurus aduſta focis.
Sed dum Iane tuam celebramus carmine lucem,
Ite per Heſperias triſtia quæq; plagas.
Impia Tartareas Bellona recede ſub undas,
Te juvet infernis ponere caſtra locis.
Induat ut veterem pietas renovata nitorem,
Et redeat patrio PAX diuturna ſolo.

Lapſaq́; SATVRNI mox ſecula priſca recurrant,
O deſiderio ſecula longa meo!
Miles ubi rutilis nondum radiabat in armis,
Nec tuba militiæ claſſica ſigna dedit
Nullaq́; præruptis ſtabant circumdata vallis
Mænia, nec præceps foſſa, nec agger erat.
Sed tulit optatas tellus ſine ſemine fruges,
Et duxit proprias ſæpe ſenator oves.
Ergo tibi ſimili liceat, CHRISTINA, ſub ævo
Vivere, vel populo tradere jura tuo.
Quod niſi me veterum fallunt præſagia vatum,
Suſpicor optatum non procul eſſe diem.
Quo nova tranquillæ ſectaberis ocia pacis,
Quod populum placida ſub ditione reges.
Heſſia quo patriam poterit ſarcire ruinam,
Namq́; redit pulſis aura ſerena notis.
Quod ſupereſt, rigidos cohibe, pater alme, tumultus,
Suſcipe jam fuſas, ſuſcipe, quæſo, preces.
Seu Mahometigenos armis excinde latrones,
Barbara qui Venetis gentibus arma parant.
Id cupit, id variis Eccleſia merſa procellis
Expetit, id Muſis dedita turba rogat.
Denique, ne veſtras onerem prolixior aures,
Finio, Butsbaci firma columna vale.

Item ad eandem.

EDita FRISIACÆ CHRISTINA propagine gentis
Salve, quæ SOPHIÆ nobile nomen habes.

Suſci-

Suſcipe nunc memorem teſtantia carmina mentem,
Suſcipe nunc animi candida vota mei.
Quæ ſi grata tibi, ſublimi vertice tangam
Sidera, ſeu rutilos ſolis euntis equos.
Illa quidem, fateor, tenui ſunt condita verſu,
Læſit enim teneros aſpera bruma pedes.
Omnia funeſto dum languida facta tumultu,
Proh dolor! everſa cum pietate ruunt.
Nec minus aſſumptis fugiunt Libethrides alis,
Inde parum Clariis illa rigantur aquis.
Sed meliora canam, quando meliora reſurgent
Sæcula, tranquillos PACE ferente dies.

In Conſilia Hôpingii.

HIc poſt buſta ſuos Themidos patronus honores
Ingenii partu nobiliore probat.
Qui facunda ſatis, cum viveret, ora tenebat,
Cujus adhuc cineres Heſſia tota colit.
Jam ſine voce docet, jam mortuus inſtruit, iſtud
Portentum noſtræ poſteritatis erit.
Reſpice, quot trepido dederit Reſponſa clienti,
Conſilium juſta dum probitatis erat.
Adde quod hunc populus votis ardentibus optat,
Mors deſiderium, nomina vita dedit.
Os ſacrum, quod in ære colis, mirabere ſcriptis,
Quando vides facili jura ſoluta modo.
Felix, quem ſacrata vocat doctrina parentem,
Qui fuit argutis clara lucerna ſtrophis.
Traxit ab obſcura dubias fuligine leges,
Puraq́ꝫ Cecropio verba liquore fluunt.

Gratia

Gratia facundo nec deficit ulla nitori,
Miraq; perfectum forma catenat opus.
Suavia melliti nos flumina ſenſimus oris,
Quæ fuerint linguæ dulcia dona, patet.
Hinc tibi promeritas Marpurgica Curia voces
Contulit, Heſſiaci lucida ſtella fori.
Pondera juſta tuo facundia docta labori
Addit, & extinctis floret opima rogis.
Teutona terra tuam ridet jam Bartole, famam,
Nam magis Hôpingki laude ſuperba tumet.
Iuſtus erat Cuſtos æqui, Servator honeſti,
Nullaq;, quæ mentem flecteret, aura fuit.
Et ponens docto metam feliciter ævo,
Poſt mortem populi publica vota videt.

In Juriſprudentiam Vulteji.

DEſine Roma tuos legum jactare peritos,
Deſine, Vultejum Teutona terra ſtupet.
Heſſia tota tuos nunc ridet Ibere labores,
Heſſia tam claro nobilitata viro.
Omnibus hic metam poſuit, qui publica produnt
Scripta, vel ingenii qui meditantur opus.
Quæ diſperſa tenent alii, congeſta tenebat,
Nullus VVLTEIVM qui ſuperabit, erit.
Quid loquor, ingenium tot ſcripta recuſa docebunt,
Illa, quod hæc ætas jam veneratur, habent
Iudicium canos vicit felicius annos,
Et mox judicio gloria major erit.
VVLTEIO meritos tribuat Romanus honores,
VVLTEII cineres ſecula noſtra colant.

SON-

SONNET.

HA ? que ce bel eſprit
a faict merveilles
de parole & d' eſcrit
qui ſont nompare illes.
Ce ſiecle prend la gloire
avec tant de bon heur.
de ce docte labeur.
digne de belle memoire.
Chacun te loverà
Grand oracle du droict
Chacun appouverà.
ceſt' illuſtre exploict.
Le commun & la nobleſſe
te donne pour eſchange
unde haute lovange
Venant de voſtre ſageſſe.
Vultec comme un flambeau,
tire de ſon ouvrage
un grand advantage,
dans ſon triſte tombeau.

SONNETTO.

SI Virgilio haveſſe viſto
quel ſole della prudenza
quel fior del eloquenza
Havria l' un ſtil con l' altro miſto,
Febo gia ha ſovente plorato
La morte di queſto gentile,
qui ha laſciato, la vita vile
Per eſſer tanto piu cantato.

Elo-

Glorioſo VVLTEIO in cui s' appogia,
La vertù, che Roma adora,
Del quale le lodi ognora
Creſcon per un' eloquente pioggia.

Ad Dn. Brakium ſuper fortuna, f. Heidelbergæ.

TE finxere Deam veteres FORTVNA, quid ergo
Inter, te, reliquos non poſuere Deos?
Forſan fæminea quod mobilitate triumphas,
Te non maſculeis aſſociâre Deis.
Mobilior vento, dubio veſtigia greſſu
Ducis, quiq; placet, cras tibi ſordet amans.
Tu retines plures, quam vel pulcerrima amantes
Virgo, quisq; tuum geſtit inire torum.
Ipſa Minerva tuos ſupplex exoptat amores,
Nam virtus juſta nil ſine ſorte valet.
Crede, quod Auguſtos ducit fortuna triumphos,
Crede, quod imperio ſævit ubiq; ſuo.
Altera quem vidit lætum lux, altera mæſtum
Spectat, ſors dubiis ſtatq; caditq; rotis.
Qui ſtat, num bene ſtet, videat, fortuna vacillat,
Ne cadat, ambiguum nam tenet illa gradum.
Quosdam poſtremos fortuna relinquit in ictus,
Vt poſſint fato deteriore premi.
Hæc te non moveant Braki clariſſime, ſortem
Deſpice, nam virtus altius ire poteſt.
Spernitur ingenium, quod ſi mortale quid optat,
Stultus ab argento nomina vana trahit.

Sed

Sed tamen & ſortem quoties reverenter habebis,
Tunc etiam votis hæc erit æqua tuis.
Illi nulla nocet ſors, quem mens culta tuetur,
Cujus & amplexus jam Themis alma petit.

Elegia in Jubilæum nuptiale.

ILla dies vobis per fata benigna relucet,
Credite, quod paucis contigit hocce decus.
Vertitur in viridem dum cana ſenecta juventam,
Et poſt luſtra decem nunc replicatur hymen.
Major in hoc ipſo ſplendeſcit gloria feſto,
Hæc lux, STEFFIADOS, nobiliorq́ beat.
Adſunt nam Nati, ſpectant tædamq́ Nepotes,
Et generum magni nominis, ecce, vides.
Sic qui non poterant primum ſpectare, ſecundum
Conſpiciunt thalamum, VIR VENERANDE tuum.
Fortunate Senex, tota cum gente tot annos,
Omnipotens tuta te ſtatione locat.
Et ſi quis tantùm claro te nomine novit,
Hic ſuadam toto prædicat ore tuam.
Conſilioq́ viges præclara CORONA ſenatus,
Quod circumſpecta promere mente ſoles.
Eſt tua larga penus: Veſtras Pactolus in ædes
Fluxit, & in veſtram ſors bene fida domum.
Diligit EVPHROSINA ſuum dilecta maritum,
Colloquiis illum, blanditiisq́ fovet.
Sic Fortuna ſuos tota de parte beatos
Reddit, in æternos non ſine laude dies.

Un Sonnetto.

GRatie, ch' a pochi deſtina
il cielo: Prudenza nel petto,
Rara virtù, e gioia nel letto,
In alto intelletto un puro cuore,
Frutto giovenile nel ſenile fiore,
Vn aſpetto penſoſo, un anima lieta,
Vna vita di Dio, una ſtanza quieta,
Ecoſa, ch' ogni altezza inchina.

In honores doctorales Dn. MENHARDTI.

IN nato clari revireſcit imago Parentis,
Digna triumphanti ſemper honore coli.
O Menharde tuis cur non ego gratuler auſis
Mirer & ingenii nobilioris opes.
Cum Doctoralem tibi dat Baſilea coronam
Et memorat laudes Sueva Tubinga tuas.
Nerva velut juvenes ſuperas feliciter annos
Acta ſenem faciunt, judiciumq; probant.
Sunt tibi ſæpe vagi revoluta volumina juris
Vnde beat ſummo te Themis alma gradu.
Inter honoratos ſic ſurgis amice labores,
Sic volat in patrio gloria veſtra foro.

In alluſionem nominis

In Generoſum & Nobilem virum,

Dominum

de RUTA PETRA,

Sereniſſ. Principis Neoburgo-Palatini conſiliarium intimum.

PRincipis hic eſt PETRA ſui, cui maxima rerum
Incumbit moles, cui ſecretiſſima credit
Pondera Neuburgi Dux, hocq; Polonia novit,
Vtpote quæ talem tollit ſuper æthera RVTAM,
A qua conſilii ſenſit turbata levamen,
Quando Sarmatiæ reddebat OLIVA quietem.
Multa quid? hæc multis arridet RVTA Monarchis,
Secretis Regum poniq; meretur in hortis.

Ad eundem.

LVmina virtutem vivam radiantia monſtrant,
Quidq; ferat cerebrum, lingua diſerta docet.
Nota loquor, Vir Magne colit tua nomina, quisquis
Dicere te ſentit, ſeu tua ſcripta legit.
Huic placuiſſe viro laus eſt, tibi quisq; probatur,
Ille ſuos Momos temnere jure poteſt.
Tu mea PETRA manes, ſi me mala fama laceſſit,
Ad juſtas aures provoco rite tuas.
Lingua ſiniſtra nocet, ſed mens tua pura videbit,
Innocuo populi quod minus aura favet.
Me mala fata premunt, patriasq; inglorius oras
Incolo, ſed patiar, ſors quod iniqua jubet.

d Fidere

Fidere noſſe Deo mea pars eſt, ſæpe ſalutem
Aſpera ſors miſeris, quæ negat, illa tulit.

In Aciduliſtas.

SI proſunt acido ſumpti de fonte liquores,
Vinea cur colitur, cur nos Rhenenſia vina
Tam caro trahimus pretio? cum corpora Bacchus
Et mentes violet, cur non ſua redditur undis
Debita fama, patrum quam ſecula priſca dederunt.
Sed tu de nobis forſan jam Bacche jocaris,
Necq́ ſines bibulis veteres mox tendere caſſes,
Nunc haurimus aquas, melius quo vina bibamus,
Et poſthac ſolito rurſus tibi more litemus.
Non tenet imperium multos Neptunus in annos,
Paucos ille dies reget; & mutabitur ordo.
Major pars anni remanet tibi Bacche, quid ergo
Plangis, quod modicùm te non velut ante colamus?

In Dn. Vorburgum.

HIſtoricos inter primus, qui cuncta retexit,
Quæ dixere patres: Noſtro Vorburgus in ævo
Emicuit, Moganis *memorabile nomen in oris.*
Atlas Hiſtoriæ, cœlum qui vertice fulcit.
Quid terra geſtum fuerit, pelagoq́ recenſet,
Ottonum *lapſos & qui procedit ad annos.*
Magna viri virtus, meritam cui Teutona famam
Terra dat ingenii mirum mirata nitorem.
En quam ſubtili vivacia verba catena
Nectat? Scribendi genus eſt hoc nobile, nunquam

Majeſtas meminit Germana quid altius illo
Cedite Romani, Germano cedite ſcripto.
Cedite Vorburgo, *nullo renuente Deorum*
Cui natura dedit, cum viveret, omnia quicquid
Laus cupit, & doctas pennam quæ mulceat aures.

Ad Principem Palat.

Ludovicum Wilhelmum.

M*Agnus eris viridi Princeps* Ludovice *ſub ævo,*
Te ceu Semideum ſecula noſtra colent.
Magna patris ſoboles, noſtræ ſpes unica terræ,
Inter Germanos faxq́ jubarq́ duces.
Ore refers proavum, magis at virtute parentem
Exprimis, ingenii dux erit iſte tui.

In obitum Verjuſii.

U*Rbs hæc, quæ lucem dedit, iſta Lutetia tumbam*
Commodat, & magni contegit oſſa viri.
Nil majus natura tulit, dum viveret, omnes
Callebat linguas, Hiſtoriaq́ locos.
Ingenio virides vicit Verjuſius annos,
Suada ſuis loculis quod tenet, ille tulit.
Sublatum fato Parnaſſica dona ſequuntur,
Eloquiumq́ timet cum moriente mori.
In VERIVSANO ſcribantur & illa ſepulchro:
Hic hic Gallorum fama decusq́ jacet.

In Venerem & Cleopatram

In Horto Weberiano Francofurti poſitam.

VENERI

SACRUM,

Hæc eſt Græca VENUS nullos amat iſta Priapos,
Sed cupit innocuo lumine nuda coli.

Ex parte poſteriore.

Non linguam Phidias finxit, ne fortè reclamem,
Tangere ſi manibus poſteriora velis.

CLEOPATRÆ

SACRUM,

Vt fugeret CLEOPATRA *tuas* AVGVSTE *catenas,*
Francovadum *petiit, noſtras doctura puellas,*
Quid benè fidus amor, vel quid conſtantia poſſit.

Ex parte poſteriore.

Quod CLEOPATRA *fui, non hac pars ſpurca notabit:*
P*ectora, frons, oculi potius, mireris ut artem,*
Efficient: Et tum forſan tibi viva videbor, &c.

J.Th.Spr.

Epi-

Epitaphium MANLINI conjugis.

MAnlini conjux jacet hic, ſtradamq́ʒ marito
Prima parat, podagrâ quam cruciatus eat.
Hoc quando factum fuerit, tunc Textor *in urna*
Scribito, tu mea crux, tu mihi fuſtis eras.
Saxum quo tegeris poſui, ne forte reſurgas
Et turbes telas invidioſe meas.
In reliquo, mihi dic, qua mens tua parte vagetur,
Si non in cœlis, ſtes ubicunqʒ velis.

In effigiem

DN. GEORGII CHRISTIANI, Haſſici Landgravii.

HIc eſt Haſſorum Princeps, *tremor hoſtis, & illud*
Herculeum belli fulmen, & Orbis *amor.*
Quicquid militiæ Germanus, *quicquid* Iberus,
Et quicquid Gallus *novit, id omne tenet.*
Picta tabella refert faciem, ſed lumina mentis
Non niſi cognoſci per ſua facta queunt.

In nuptias Dn. de la Spina.

1.

TV hai per ceruero intelletto
Di donne leggiadre e belle eletto,
Vn petto d' angeli il più perfetto,
E de la virtù il vero ſoggetto.

2.

La prima vera fanciulla de l' anno
Ti germoglia quelli ſuavi fiori,
Che rendono li più graditi odori.
De l' amore, e appiccian l' amoroſo affanno.

3.

Altre volte la Spina difende la roſa,
E quando ſi tocca, il fior la cuopre,
Ma adora mal la parte ſua ſcuopre,
Mentre il ſpoſo purge la ſua ſpoſa.

4.

Guardati è ſpoſa pur ben nel tua ſtanza
Altrimente queſta ſpina t'ingontia la panza
Quel aſpro colpo, quell amoroſo ſtrale
Quella ſaetta mortale, quell dardo carnale
Te farà porne te ſteſſo in oblio
Nel gioir il notturno e dolce deſio.

Ad eundem.

in Hiſpanico.

EL Nobio es ni cevido
De la Nobia en el pecho
Con cora con muy atrevido
Y en lug'ar bien eſtrecho
hazeſe la paz
y es el guſto mas.
Deſpues que el roſtro figura
Musha bon dad y hermoſura.

Pros-

Proſphoneſis cujuſdam defunctæ ad Deum, Maritum, & cognatos.

Conjugis ut gelida pia lumina morte natabant,
Quæ fuerat noſtri melq; decusq; thori.
Miſcuit occultis ſuſpiria multa querelis.
Edidit & tales voce tremente ſonos.
Huc ades ô noſtræ ſtatio firmiſſima metæ,
Huc ades ô animæ portio Chriſte meæ.
Diſſolvi cupio, dilecte marite valeto,
Suſcipe me placido, ſuſcipe Chriſte ſinu.
Tu quoq; ſupremam dilecte marite ſalutem
Accipe, quæ noſtri teſtis amoris erit.
Præbeat in viduis tibi mox ſolatia curis,
Qui mare, qui terras, qui regit aſtra Deus.
Vos quoq; quos noſtri pungant macerantq; dolores,
Pro me ſupremas fundite quæſo preces.
Siſtite nunc veſtrum juncti mihi ſanguine fletum,
Nam Mors Chriſticolis vita perennis erit.

MAGNÆ BRITANNIÆ
TRIUMPHUS
DE
SEPULTURA
Regiminis Popularis.

CUM SERENISSIMUS ET POTENTISSIMUS PRINCEPS,

CAROLUS II.
MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ, ET HIBERNIÆ REX, FIDEI DEFENSOR,

Mirabili Dei providentia,
Juſto avitæ poſſeſſionis titulo,
Inevitabili POSTLIMINII *jure,*
Deturbatis primum Fanaticæ religionis nebulonibus,
Diſcuſſis caliginis hujus dæmoniacæ nebulis,
Ejectis Regum deteſtandis oſoribus,
Expulſis Popularis conglomeratæ multitudinis anteſignanis,
Reſtitutâ antiquâ Regiminis formâ,
Revocata immemoriali Regum adorandorum conſuetudine,

Redu-

Reductâ Principum colendorum pietate,
Reversâ obſequii, & Imperii gloriâ,
Acceptâ cemmuni quiete
SOLIO SVO PATERNO
Vt Rex, ut Pater, ut Dominus,
Ab univerſo trium Regnorum populo,
Vrgente Nobilitate,
Orante Militia,
Acclamante plebe,
Pro recuperanda Britanniæ Salute
REDDERETVR:
HUJUS INVICTISSIMI REGIS
Amitino in Germania unico,
Felici Britannici Regii ſanguinis ſub alieno
cælo propagatori,
Sereniſſimo Principi,
Prudentiſſimo Electori,
Imperii Architheſaurario
Domino, Domino
CAROLO LVDOVICO, *Comiti Palatino*
ad Rhenum, Duci Bavariæ,
Suo clementiſſimo Electori,
Suo TVTELARI GENIO,
De Reſtituti Regis & Principis conſobrini
felicitate,
De juſta ſereniſſimæ Palatinæ domus lætitia,
animo devoto
in humilimæ mentis teſſeram
in perpetui obſequii, & humilitatis ſymbolum
ita gratulari,

Nec tam recens ROMA *in patria ſua reverti,*
quam gaudium ſuum inter tot mille exultantium catervas
unus, licet minimus, tamen gaudens
ſequente elegia
teſtari voluit
Joh. Theod. Spreng. D. & C. S

Fœdera, jura, Deos, Reges, faſcesq; priores,
Accipit ejectis *Anglia læta* lupis.
Plebs male culta jacet, Proceresq; Ducesq; reſurgunt,
Dum Chelys *a Auguſto Scotica Rege ſonat.*
a Inſignia Regis.
Cornuvellanos *tenet arcta catena* moloſſos.
Et Leo *b* frendenti *diſſipat* ore *canes.*
b Inſignia Regis.
Vel
Juſta Dei rapidos diſſipat ira canes.
Reddita tota ſibi, tria regna relapſa ſub unum,
Jam rurſus Regem, quem venerentur, habent.
Gaudet cum Dano Batavus, lætatur Iberus,
Suntq; P*alatinæ* J*ubila nota domus.*
Dum diadema petis, moreris, Cronvvelle, *Coronã*
Furca tuo capiti poſt tua fata dedit.
Sic rerum faciem diviſus ab Orbe Britannus
Mutat, & hoc Monki *militis arte facit.*

GLORIA DEO,
TRIUMPHUS REGI.

In nuptias ſuæ Cæſareæ Majeſtatis.

SAlve Virginei flos intemerate pudoris,
Heſperiæ ſidus terræ, pia cura Deorum,
Ac Regum prognata ſatu, genituraq; Reges,
Linq; tuas ſedes, alienaq; littora noli
Spernere, nam rerum major tibi naſcitur ordo.
I, ſequere Italiam ventis, pete regna per undas,
Expectata diu, noſtris Hiſpania votis
Annue, cur tantum tardas? quæ cauſſa morandi?
Ah quoties ventos concluſerat Æolus antris,
Heſperiis ſolùm quò nauta recederet Oris:
Quantas corde preces, tacito quot vota labello
Duximus, ad nos ut mox per mare ſalva venires,
Per mare, quod nullis ventis agitetur & undis.

Paſtor Fido att. 3. ſcen. 1.
Un ſecolo a gli amanti
Par ogn' hora, che tardi, ogni (momento)

INtereà claſſem ſua tendere vela refertur,
Ac Hiſpana Phalanx inſtructis navibus ibat,
Italiæ littus, Ligureſq; per alta petebat
Æquora, dum ſenſim terræq; urbeſq; recedunt.
Linquunt Hiſpanos portus, laxantq; rudentes,
Atq; volant pelago, maria undiq; & undique cælum.

Et THETYS placidum ventis mare fecit, Olympus
Diſcuſſit nubes, liquidæ *venêre* ſorores,
Supponuntq́ manus ratibus, cum tale viderent
Pondus, & ut veherent ſidus torrentis Iberi.
Prora tremit, mirum fuit haud, ſi tota tremebat,
Inſenſata ſolent etiam cognoſcere DIVAS.
Sic rate felici pacata per æquora currunt,
Per freta, per ſcopulos, Ligurumq́ feruntur ad urbẽ,
GENVA turrigero quâ vertice culmina tollit:
Reſtant tot Montes, tot inhoſpita ſaxa, tot Alpes,
Per quas Magna ſuum Regina petebat amantem.

P. F. att. 3 ſcen. 3.

INFANS AD CÆSAREM.

Indi vedrai
L'alta neceſſità del ardor mio.
E comme l'acqua ſcende, e'l fuoco ſale
Per ſua natura, e l'aria
Vaga, e poſa la terra, e'l ciel s'aggira,
Coſi natural mente s'inchina
Come à ſuo ben il mio penſiero, e corre
A le bellezze amate
Con ogni affetto ſuo l'anima mia.

INdicat adventum clangens tuba, tympana dicunt
Non procul eſſe DEAM, dum tota Vienna recla-
mat:
O nimium dilecta Deo, dilecta Marito,
VNIO, a *Sponſe, tuis & nomen amabile terris.*
a Margarita.

P. F.

P. F. att. 2. ſcen. 1.

Quella bocca beata
Quella bocca gentile, che può ben dirſi
Conca d' Indo odorata
Di Perle Orientali è pelegrine
E la parte che chiude
Ed apre il bel theſoro
Con dolciſſimo miel purpura miſta.

NOn vultum, non labra roſæ, non colla pruinæ,
Non crines æquant violæ, non lumina flammæ
Dulce micant oculi, monſtrat frons pondera mentis.

P. F. att. 3. ſcen. 3.

Queſto
Nuovo ſol di beltade
Venne à far di viſta
Quaſi d' un altra prima vera adorno ella ſta
Comme ſuol tra violette humili
Nobiliſſima roſa,

att. 2. ſcen. 5.

ed ella paſce
De ſuoi bell' occhi il paſtorello amante.

MVndi delitium, ſoboles Auguſta Deorum,
Cui conjurati venere ad Carbaſa venti.
O digno conjuncta Viro, tantiq; per orbem
Con-

Conſors Imperii: *Nunc ſecula fauſta recurrunt.*
Montes lætitiæ voces ad ſidera jactant,
Antra canunt, ipſos dicas nunc vivere fontes,
Ingeminant colles plauſum, diffunditur Eho
Clarior, ipſa etiam cælo ſpiſſata recedunt
Nubila, clareſcũt puris Aquilonib. Alpes.
Concurrunt Proceres, *vacuum ferit aëra longè*
Hinnitu quadrupes plenum quatit ungula campum:
Hinc trabeatus eques latas & turba plateas
Anguſtat, pictis fulgent ornata tapetis
Atria, candet ebur ſoliis, oſtroq́; refulget
Clara VIENNA, tubis dum compita cuncta recla-
mant,
Sponſaq; *per varios canitur* Regina *receſſus.*
Multi illam toto è mundo, totaq́; petebant
Heſperiâ, petit ante alios tum MAXIMVS omnes
CÆSAR, avis atavisq́; potens, quem REGIA
MATER
Adjungi GENERVM miro properavit amore:
Sic natam nulli veterum ſociare procorum
Fas erat; idq́; omnes Diviq́; *hominesq́; canebant,*
Vincitur Auſtriaco, *cognato ſanguine vincit.*

P. F. att. 1. ſcen. 4.

ê ſemi lece dirlo
Meritevole figlia, e con tua pace
Da molti chieſta, e deſiata ancora.

BÆtis *cum bifido renovat ſua fœdera* Rheno,
Iſter *cumq́;* Tago: *propius diſcreta propin-*
quant.
Omnia fas ſperare fuit, quia ſubditur omnis

Impe-

Imperio Naturæ: Deus nunc efficit unum
E binis, toto diviſaq; corpora cœlo
Juncta ligat, parib. quando ſe legibus ambæ
Invictæ gentes æterna in fœdera mittunt.
Ore pares, avo ſimiles, gens ſuavis amorum,
Vna fides, ſtirps una, ſimul mens una duobus.

P. F. att. 1. ſcen. 5.

ed' in duoi petti
Stringere un cuore, e'n duo voleri un' alma

Dic quid ſit melius? Mundi quod Machina ſperat.
Aurum ſic auro, ſic Bacca Bacca ligatur,
Sic bene conſuluit caſto Deus æquus amori.
Lege pari virides nutant ad mutua palmæ
Fœdera, populeo ſuſpirat populus ictu,
Et platani platanis, alnoq; aſſibilat alnus:
Sic ſimilis ſimili, ſic parq; pariq; probatur,
Illis nulla pares unquam lux vidit amores,
Faſcibus inſignes, multis regniſq; beatæ
Convenere domus: Sic orbi jungitur orbis,
Accedit Regno Regnum, nova terraq; terræ.
Hinc genus Auſtriaco *natũ quod ſanguine ſurget,*
Supra Homines ſupra ire Deos pietate videbis,
Deſcribet radio totum quod gentib. orbẽ,
Biſq; triumphatas utroq; à littore gentes,
Iſta LEOPOLDI *domus & dominabitur Orbi.*
Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis:
Hos circa innumeræ gentes, populiq; volabunt,
Nomen adorabunt omnes, nec terminus unquam

Auſtria-

Auſtriacæ *ditionis erit; Se purpura ſupplex*
Offeret, Auſtriacosq *ſimul regnare rogabit.*
Nominis hujus opes ætas non ultima franget,
Teutona ſe quantis attollet gloria rebus!

P. F. att. 1. ſcen. 2.

Perche promette a queſte Nozze il Cielo
La ſalute d' Arcadia.

E*St aliquod meriti ſpatium, quod nulla furentis*
Invidiæ menſura capit: Sic ſecula quondam,
Sanguinis Auſtriaci *ſit quanta potentia, diſcant.*
Sic populos, quis ſit LEOPOLDUS, *prima docebit*
Syllaba: Subjectis parcet, pelletq́ʒ ſuperbos,
Submittent multi collum, multiq́ʒ timebunt.
O Deus *in terris* Cæſar, *quem ſuſpicit Orbis,*
Virtutis ſpeculum, prolesq; polita Deorum *a*,
Turcarum Domitor, quo non magis ulla potentem
Terra gerit Regem, cujusq́ʒ potentia vires
Per *varias mundi partes acquiret eundo.*
Non odium terrore moves, non frena reſolvit
Gratia, diligimus pariter pariterq́ʒ timemus.
Ipſe metus te noſter amat, Juſtiſſime Legum
Arbiter: Egregiæ pacis firmiſſime Cuſtos.
Contingit ſenii gravitas, viresq́ʒ juventæ,
Vtraq́ʒ te cingit propriis inſignibus ætas.

a Proles polita Deorum. per anagr. *Imperator Leopoldus.*

Hi-

HISPAN.

Del Fernando grande ſucceſſor
Y ſu heredero Divino
De ſu invinzible valor.
Forma viril manifieſta
De celeſte Majeſtad
Acreditada y compueſta.

ORnatur Fortuna Viro: Se gentibus offert
Summa poteſtatis ſpecies: Sic Auſtria *Nobis*
Gaudia tanta facit, pinguis lata ubere gleba,
Dives agri, dives pecoris, fulviq; metalli
Nobilis & vinis, quibus haud Mareotica certent
Pocula, nec Chii latices, collesq; Falerni.
Armorum legumq; parens, *Sanctiſſima Tellus,*
Tellus cara Deo, tot florida Regna, tot urbes,
Totq; ſuo faſces gremio complexa, triumphat
Tellus digna Deis, digniſſima Caſare ſedes,
Qua dedit Auſtriacis *cunabula lata Monarchis.*
Non genus, unde nova ſtirpis revocetur, habemus:
Fundimus inde preces, ſi quis modo parvulus aula
Luderet Æneas, qui te LEOPOLDE *referret,*
Quiq; tuas feriat teneris vagitibus aures
Parvulus Aſcanius, ludens genitoris in ulnis,
Incipiatq; ſuam riſu cognoſcere matrem.

P. F. att. 5. ſcen. 9.

Vieni ſanto Imeneo
Seconda i noſtri voti, e noſtri canti
Scorgi beati amanti
L' uno e l' altro celeſte ſemi Deo
Stringi il nodo fatal ſanto Imeneo.

Sic

SIc genitor, ſic Sponſus eris, ſic tutus Olympum
Succedente petes illo, cum Neſtoris annos
Attigeris: Superi non irrita vota ſequuntur.
In te nam Noſtri ſpes vertitur unica Regni.
Nil ſupereſt, niſi quod læta nunc voce canamus.

CHORUS.

Illam Cæſar habes, tota quam mente petebas,
Attigit & votum non minus illa ſuum.

P. F. att. 2. ſcen. 5. Sponſus ad Sponſam:

Tu trovi, chi da te no parte mai
Amarilli mia dolce, e di te ſtava
Pur hor penſando, e fra mio cuore diceva
S' io ſon anima ſua, comme può ella
Stare ſenza me ſi lungamente, e'n queſto
Tu me s'e ſupragiunta anima mia.

SIc Latona Jovi placet, atq; Lycorida Cyri
Vrit amor; patitur non ſimulare Venus.
Quis poterit tectos vitare Cupidinis arcus?
Quis poterit Gnydiæ ſcindere rete Deæ.
Ipſos illaqueat Venus inſidioſa Leones,
Et trahit in caſſes, omne quod Orbis habet.
Huc Cytheréa veni, tibi ſint hæc gaudia curæ,
Pendeat ex humeris hoc onus omne tuis.
Dum pius ardet amor biniq; beantur amantes,
Hosq; triumphali fœdere jungit Hymen,
Auroram ſpernes, ſi Regia Lumina cernis,
Cedite jam veſtrum Lilia victa decus.
Sponſa tuum ſuperat, Lucretia caſta, pudorem,
Et vincit formam, Candida Leda tuam. ITAL-

ITAL.

Nel tuo bell viſo il cuor amante e vede
Splender in vece d'occhi un doppio ſole
Anzi un gemino cielo, ove reſiede
E intorni, à cui vien ch'amor, ſcherzi e
vole
Anzi no vede mai dal'Alba à ſera
Il ſol, ſe non in te belleza intera.

P. F. att. 1. ſcen. 2.

Amarilli del candido liguſtro
Più candida, e più bella.

HOc *pretium Magni meritis debetur* Amantis.
Hæc ſunt Cæſarei *præmia juſta* throni.
Cum aos Regum par Nobile vivat in annos,
Creſcat in æternos hacq; propago dies
Nam thorus hic Mundo fauſtiſſima ſecula ſpondet,
Prata fluent oleo, flumina mella dabunt.

Æ.

[library stamp] J. Th. Spr.

F N S.

B. BIBLIOTECA